



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio Prima. De Scriptura sacra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

TRACTATUS NONUS.

D E

REGULIS FIDEI.



Regula fidei dicitur id quod continet vel proponit infallibiliter veritates à Deo revelatas, pertinentes ad fidem catholicam. Dividitur in animatam & inanimatam. Inanimata duplex est, Scriptura scilicet & Traditio: animata verò, quæ duplex, universitas pastorum, seu pastorum & ovium, universitas pastorum, seu corpus pastorale capiti suo Romano Pontifici conjunctum; Concilium generale à Romano Pontifice approbatum, & Sedes Apostolica.



DISPUTATIO PRIMA.

DE SCRIPTURA SACRA.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum dentur aliquæ Scriptura Sacra, seu divina.

RESPONSIO I.

Dati sacras aliquas scripturas evidenter credibile est evidentiâ absoluta & perfecta, adeoque respectu omnium sufficientissima.

Prob. Scriptura sacra dicitur ea, quæ continet verbum Dei, seu divinas revelationes. Atqui dari hujusmodi scripturas evidens est saltem evidentiâ credibilitatis absoluta & perfecta. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam habemus motiva, quæ si non separatim, saltem conjunctim sumpta, ostendunt evidenter evidentiâ absoluta & perfecta non posse nisi imprudenter negari, quod dentur aliquæ scripturæ, quæ verbum Dei, seu revelationes à Deo factas continent, sive, quod idem est, quod aliquæ scripturæ, eæ nimirum, de quibus infra, verè contineant verbum Dei, seu revelationes à Deo factas. Ergo, &c.

Motiva autem illa sunt, illarum scripturarum antiquitas; illarum mirabilis conservatio inter tot & tantas persecutionum & hæresum procellas, quibus hæcenus exagitata est christiana religio; puritas, sublimitas & sanctitas doctrinæ quam continent; illarum planè divina in hominum animis ad amorem Dei, & virtutum omnium exercitium convertendis energia; summa veneratio, qua illas prosecuti sunt à septemdecim sæculis innumeri penè viri in religione christiana, doctrina, sanctitate & sapientiâ insignes; prophetiarum, quas habent, veritas eventu comprobata; authorum, à quibus conscriptæ fuerunt diversis temporibus, locis & linguis, summa inter se consensio & concordia. Ex his autem argumentis saltem collectivè sumptis, quis non evidenter colliget, sine temeritate maxima negari non posse scripturarum illarum divinitatem?

RESPONSIO II.

Imò dari aliquas scripturas divinas, simpliciter evidens est evidentiâ magna morali.

Prob. Tam certum & evidens est dari divinas aliquas scripturas, quàm certum & evidens est religionem christianam esse veram religionem: unum enim è præcipuis religionis christianæ dogmatibus est,

Simonnet Theol. Tom. II.

quod dentur aliquæ scripturæ, verè contingentes verbum Dei, seu revelationes à Deo factas. Atqui, ut suo loco probatum est, certum & evidens est simpliciter evidentiâ magna morali, religionem christianam esse veram religionem. Ergo, &c.

Porro scripturæ illæ, quarum divinitatem nonnisi imprudenter negari posse, imò simpliciter evidentem esse probavimus, dividuntur, velut totum in partes, in eas quæ ante adventum Christi exaratae fuerunt, & componunt vetus testamentum; & eas, quæ conscriptæ fuerunt post Christi adventum, & in illis novum testamentum consistit. Hæ itaque in lege gratiæ, illæ verò in lege Mosaica ab authoribus à Deo inspiratis, qui idcirco Authores sacri nominantur, conditæ fuerunt. Sed

Nota. Prosequentibus articulis. Hæc vox Canon, duplicem habet significationem. 1. Enim significat idem ac Regula. Hinc Conciliorum decreta de fide vel moribus, vocantur Canones, quia sunt fidelibus credendorum vel agendorum regulæ; sed hæc vocis acceptio non est hujus loci. 2. Significat idem ac Catalogus, & in hac significatione hic sumitur, cum scripturis sacris attribuitur. Cum itaque queritur, quis sit canon librorum sacrorum, sensus est, quis sit librorum sacrorum catalogus; & cum queritur, quinam libri sint canonici, sensus est, quinam libri in librorum sacrorum catalogum sint relati. Canon hic est librorum sacrorum catalogus, & libri canonici sunt libri sacri.

ARTICULUS II.

Quot & quos in suo Canone libros habuerint Hebræi.

Resp. In canone Hebræorum fuerunt libri viginti duo, nempe Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. (Hos quinque libros à Mose conscriptos Legem nuncuparunt Hebræi.) Liber Josue, liber Judicum, in quem compingunt librum Ruth; liber Samuelis, quem nos primum & secundum Regum dicimus; liber Regum, qui apud nos tertio & quarto Regum continetur; Ilias, Jeremias, Ezechiel; liber duodecim Prophetarum; Job, Psalterium Davidis, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Cantorum, Daniel, Verba dierum, qui apud nos Paralipomenon primus & secundus inscribitur; Esdras, qui apud Latinos & Græcos in duos libros divisus est, & Esther.

Prob. Ex Josepho lib. 1. contra Appionem Alexandrinum, num. 27. & 28. ubi tamen non enumerat, sed solum indicat præfatos libros, quos, ut hic obiter observare opera pretium est, monet omnes ante Artaxerxis obitum fuisse conscriptos. Ex Origene apud Eusebium, lib. 6. Histor. Eccles. cap. 18. nisi quod non habet expressam libri Ruth mentionem. Ex S. Hilario in Prologo in libr. Psalmorum num. 15. Ex S. Cyrillo Hierosolymitano catechesi 4. Ex S. Epiphano in libro de mensuris & ponderibus. Ex S. Hieronymo in Prologo Galeato, cujus ordinem secuti verba ferè exscripsimus. Ex S. Isidoro Hispalensi lib. 6. originum cap. 1. Ex S. Damasceno lib. 4. orthodox. fidei cap. 18.

Quæres. Utrum apud Hebræos fuerint plures librorum sacrorum canones editi?

T 2

Resp.

Resp. Triplex est hac de re sententia. Prima docet res fuisse librorum sacrorum canones editos; primum ab Esdra Sacerdote & Scriba sub Artaxerxe Persarum rege; secundum à Synagoga magna, antequam LXX. Interpretes ad interpretandas sacras Scripturas ad Ptolomæum Philopatorem in Ægyptum mitterentur; tertium item à Synagoga magna post bellā Machabæorum. Secunda sententia docet duos tantum librorum sacrorum canones fuisse apud Hebræos; primum ab Esdra, secundum à Synagoga magna, vel antequam in Ægyptum mitterentur LXX. Interpretes cum sacro codice, vel saltem cum Phariseos inter & Saducæos exorta est controversia, concinnatum. Tertia sententia docet unicum apud Judæos fuisse librorum sacrorum canonem, ab Esdra confectum.

Quæres 2. Quis fuerit author præfati Hebræorum canonis?

Resp. Plane dicendus est præfatus Hebræorum canon ab Esdra confectus. Nam 1. sententiæ omnes Esdræ unus canonis auctorem, & duæ priores in probando duplici vel triplici canone deficiunt, & meris conjecturis nituntur: neque primam juvant hæc verba lib. 2. Machab. cap. 2. *Construens (Nehemias) bibliothecam, congregavit de regionibus libros, & prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis. Similiter autem & Judas ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.* Ex his enim ad summum colligi potest, canonem ab Esdra primo contextum, sub Nehemia & Juda recognitum fuisse, & exemplaria à librariis mendis expurgata.

2. Rabbini præfatum canonem, non Esdræ, sed Synagogæ attribuentibus satisfit, si dicatur Esdras canonem à se compositum, Judæorum concilio, quod Sanedrîn vocabatur, obtulisse, conciliumque canonem à se recognitum comprobasse, & auctoritate sua, quæ in libris consecrandis suprema erat, sancivisse.

3. Præfatum canonem Esdrinum esse, disertis verbis docet S. Isidorus Hispal. lib. 6. originum c. 1. *Hebræi, inquit, vetus testamentum, Esdræ auctore, juxta numerum litterarum suarum, viginti duobus libris accipiunt.* Hanc suam sententiam profecto haulerat ex antiquioribus Patribus, ex quibus satis aperte colligitur. Nam sic ait S. Irenæus lib. 3. cap. 25. *Inspiravit (Deus) Esdræ sacerdoti tribus Levi, prætorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data esset per Moysen.* Et Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. *Omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdræ constat restauratum.* S. Hilarius prologo in Psalmos scribit, *Esdræ, ut antiquæ traditiones servint, incompositos (Psalmos) & pro authorum ac temporum diversitate dispersos, in volumen unum collegisse & reulisse.* S. Basilius *Esdræ omnes divinos libros ex mandato Dei eructavisse, dicit in epistola ad Chilonem.* S. Hieronymus *Esdræ Pentateuchi restauratorem* appellat in lib. contra Helvidium. Theodoretus denique argumento in Psalmos asserit, *Esdræ edidisse in lucem libros celestis gratiæ plenos, qui cum propter Judæorum incuriam, tum vero ob impietatem Babyloniorum, diutius depravati permanserunt.* Certe cum Patres restauratorem librorum sacrorum Esdræ faciunt, & nullum alium præter illum faciunt, hoc ipso satis aperte videntur ei canonem Hebræorum attribuire. Sed

Quæres 3. Quomodo libros sacros restauravit Esdras? Utrum scilicet illos omnes & integros de novo ex inspiratione divina dictando, an verò dispersos colligendo, & in unum corpus ordinando?

Resp. Duplex est hac de re sententia. Prima sententia docet, libros omnes sacros tempore captivitatis Babylonicæ, quando Hierosolymitana civitas diruta, & templum flammis absumptum est, periisse, adeoque Esdræ illos non aliter postea restaurare potuisse, quam eos de novo ex inspiratione divina scribendo, vel dictando. Secunda sententia docet, universam quidem Scripturam, quæ publicè servabatur in templo, cum ipso templo conflagrasse, &

ita periisse; sed apud privatos, puta apud Ezechielem, Daniëlem, Hieremiam, Aggeum, Zachariam, Mardocheum, & ipsum Esdræ, aliqua exempla integra, vel eorum saltem partes alias apud alios, servatas fuisse; quod enim nulli privati sacram apud se Scripturam haberent, prorsus incredibile est; adeoque Esdræ non aliter restaurasse libros sacros, quam eos variis in locis inventos colligendo, & collectos in unum corpus redigendo, atque menda, si quæ scribarum incuria irreperant, corrigendo.

Hanc secundam sententiam facile anteponimus priori, quam tamen videtur esse secutus S. Basilius loco citato, ob testimonium libri quarti Esdræ, qui quia apocryphus est, & passim fabulas Judaicas redoler, nullam planè meretur fidem: in hoc autem libro, cap. 14. expressis verbis narratur, Esdræ inspiratum divinitus, scripturam, quæ omnino intererat, reparasse, quinque viris dictando totis quadraginta diebus, cujus facti nullum vestigium extat in scripturis canonicis, & ab Ecclesiâ receptis, nec ex traditione probari potest. Nam Basilio plures alios opponimus; nempe Irenæum, Tertullianum, Hilarium, Hieronymum, & Theodoretum, qui simpliciter dicunt Esdræ libros sacros restituisse, instaurasse, collegisse, in lucem edidisse, nec addunt hoc fecisse dictando memoriter, quod factum, si verum esset, non fuisset silentio prætermittendum, utpotè miraculosum, & ad conciliandam scripturis auctoritatem aptissimum.

Adde quod Theodoretus loco citato expressè testatur libros sacros post Urbis Hierosolymitanæ devastationem permanisse, quamvis partim ob Judæorum incuriam, partim ob Babyloniorum impietatem depravatos. Theodoretus planè consonant sancti Chrysostomus homil. 8. in epistol. ad Hebræos, ubi asserit, Esdræ à Deo inspiratum, ut ex librorum sacrorum reliquiis scripturam componeret, & componendo repararet.

Quæres 4. Utrum præter libros Hebræorum canonem contentos, fuerint etiam alii libri sacri in lege Mosaiica conscripti?

Resp. Præter libros Esdrino canone contentos, fuerunt etiam alii libri sacri & divini, nempe libri Tobiae, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum primus & secundus. Nam 1. quod hi libri in lege Mosaiica conscripti fuerint, nemini dubium est. 2. Quod sint sacri & divini, constat ex testimonio Ecclesiæ, quæ illos ut sacros & divinos adoptavit, & in canone suo posuit, ut infra videbitur. Præter hos autem libros, fuisse adhuc alios in lege veteri, etiam à Prophetis conscriptos, habemus ex libris 1. & 2. Paralipomenon, in quibus citantur. Utrum autem fuerint sacri, seu ex divina inspiratione conscripti, an non, controversatur. Alii enim divinos omnes fuisse asserunt, nec tamen in Hebræorum canonem relatos, quia exciderant, cum Esdras canonem suum composuit: alii asserunt aliquos fuisse divinos, sed non omnes: alii denique nullos divina inspiratione, sed humana diligentia exaratos fuisse volunt, in qua videtur esse sententia S. Augustinus lib. 18. de Civ. cap. 38. Res videtur nobis planè dubia. Nam sicut Prophetæ poterant non loqui, & quandoque non loquebantur ut Prophetæ, sed ut homines; ita poterant scribere non ut Prophetæ, sed ut homines, humanæ industriæ relictæ. Quo autem ex his duobus modo prophetæ conscripserint libros illos, quorum meminit scriptura canonica, & qui injuria temporum perierunt, nec in librorum sacrorum catalogo fuerunt, quis definit?

Quæres 5. Quare libri Tobiae, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum primus & secundus, nunquam ab Hebræis, libris sacris ac divinis accensiti fuerint?

Resp. 1. Non potuerunt libris sacris accenseri ab Esdra, quia nondum exabant, nec exarati fuerunt, nisi post mortem Artaxerxis, quod manifestum est de primo & secundo Machabæorum, & de reliquis facile ostenditur: cum enim sint verè sacri & divini,

Esdras,

Esdra, qui erat propheta, & à Deo ad reparandam scripturam suscitatus, atque in eadem illa scriptura versatissimus, ut significatur lib. 1. Esdræ, cap. 7. non prætermisisset illos, cum canonem suum conderet, si tunc temporis jam existissent.

2. Post Esdræ tempora, libri illi quamvis in pretio fuerint apud Hebræos, ab eis tamen in librorum divinorum canonem non fuerunt relati, quia apud eos Prophetarum successio incerta fuit post mortem Artaxerxis, hoc est, quia apud eos incertum fuit, utrum post mortem Artaxerxis fuerint aliqui homines ad scribendum inspirati, adeoque utrum præfati libri qui post Artaxerxis tempora fuerunt conscripti, ex inspiratione divina conscripti fuerint. Hanc rationem suggerit Josephus, lib. 1. contra Appionem num. 29. ubi ita loquitur: *Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen prioris simili fide sunt habita, eà quod non fuerit certa successio Prophetarum.*

Quæres 6. Utrum præfati libri Tobie, Judith, &c. ut sacri & divini recepti fuerint ab Hellenistis?

Resp. Hac de re duplex est sententia. Prima docet præfatos libros ut sacros & divinos receptos esse ab Hellenistis, hoc est, à Judæis qui græca utebantur lingua, licet ut tales non reciperebantur ab Hebræis, hoc est à Judæis, qui hebraica lingua utebantur. Secunda verò sententia negat. Hanc sententiam priori facile anteponimus.

Ratio est, quia 1. Prophetarum & hominum à Deo inspiratorum post Artaxerxis tempora successio non magis certa fuit apud Hellenistas, quam apud Hebræos. 2. Hellenistæ non minus religiosi fuerunt, nec minori reverentia Esdrinorum canonem prosecuti sunt, quam Hebræi, qui tamen pro sua in canonem ab Esdra confectum reverentia, nihil ei addere, aut ex eo demere unquam ausi sunt, parati potius tormenta qualibet pati, & mori, quam alterutrum attentare, teste Josepho lib. 1. contra Appionem num. 29. & 30. Tanto, inquit, secula jam præterito, hoc est, libris sacris quos Moyses, & alii deinceps homines divino spiritu afflati usque ad Artaxerxis mortem conscribere, & ex quibus Esdras canonem suum composuit, neque adicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare presumpsit. *Omnibus enim insertum est mox ex prima generatione Judæis, hæc divina dogmata nominare, & in his uique permanere: & propter ea, si oporteat, libenter mori, &c.* 3. Hebræi habuerunt apud se synagogam magnam, cujus erat, ut docent ipsimet prioris sententia defensores, controversias de librorum divinitate exortas dirimere; adeoque prius apud Hebræos præfati libri ut sacri & divini recipiendi fuerint & in canonem referendi, quam ut canonici reciperebantur, aut etiam possent recipi ab Hellenistis.

Dices. Præfati libri partim græcè primùm conscripti, partim chaldæo vel hebræo in græcum sermonem conversi, versione lxx. Interpretum, qua utebantur Hellenistæ, inserti fuerunt. Resp. Esto. Sed quid inde? Certè in nostro canonicarum scripturarum codice habemus orationem Manasses regis Juda, cum libris tertio & quarto Esdræ, nec tamen idcirco sunt scriptura canonica, sed à nobis ut apocrypha rejiciuntur.

Dices. Præfati libri legebantur in synagogis Hellenistarum. Resp. Si legebantur, non ut sacri & divini, sed ut pii, & ad animarum edificationem idonei legebantur. Unde enim Hellenistæ potius habere potuerunt, quam Hebræi, libros illos ut sacros & divinos recipiendos esse? Quare S. Hieronymus, cum in præfationibus in libros Tobie & Judith ait eos ab Hebræis inter Hagiographa recenseri, non addit etiam ut sacro divinos receptos esse, & lectos ab Hellenistis? Denique Hellenistarum & Hebræorum unus & idem fuit canon: quis enim Hellenistarum canonem ab Hebræorum canone distinxit unquam? Ergo apud Hellenistas non plures libri ut canonici suscepti & lecti sunt, quam apud Hebræos.

Dices. Præfatos libros Ecclesia accepit ab Hellenistis. Simonnet Theol. Tom. II.

nistis. Resp. Esto. Dico, esto: nam quare Ecclesia dicitur libros illos ab Hellenistis potius quam ab Hebræis accepisse; cum non solum Hellenistæ, sed etiam Hebræi eos apud se habuerint, etiam græco sermone editos? Sed esto: at saltem Ecclesia libros illos ab Hellenistis accepit tantum ut hagiographos, ab Apostolis verò ut sacros & divinos. Et verò etiam supposito, quod præfati libri ut sacri & divini suscepti fuerint ab Hellenistis, ad hoc ut Ecclesia libros illos velut sacros & divinos prudenter susciperet, opus habuit Apostolorum autoritate: ad hoc enim sufficere non poterat autoritas Hellenistarum, libros illos velut sacros & divinos suscipientium, contradicentibus Hebræis, & libros illos solum ut hagiographos suscipientibus.

ARTICULUS III.

Quinam libri, tam ex veteri quam ex novo Testamento, sint in canone Ecclesiæ Catholice.

RESPONSIO I.

IN Canone Ecclesiæ, 1. sunt ex Testamento veteri quinque libri Moysi, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechias, Daniel, duodecim Prophetæ minores, idest, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus.

2. Sunt etiam ex novo Testamento quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Ita Synodus Tridentina, quæ huic sacrorum librorum catalogo hæc verba subjicit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit anathema sit.*

Quæres. Utrum hic librorum sacrorum canon primùm editus sit à Synodo Tridentina?

Resp. Negativè. Nam eundem illum canonem habent sæculo septimo Isidorus Hisp. lib. 6. originum, cap. 1. Sæculo quinto Innocentius I. in epist. ad Exuperium, cap. 7. quod his verbis incipit: *Qui verò libri recipiantur in canone sanctorum scripturarum, breviter annexus ostendit.* Ex quibus colligitur Ecclesiam Romanam canonem hunc semper habuisse; neque enim Innocentius primùm condidit canonem, quem mittit ad Exuperium, sed canonem in Ecclesia sua receptum mittit. Quando autem receptum, nisi ab initio ex traditione apostolica, cum ab initio traditiones Apostolicas omnes habuerit, omneque semper custodierit, & custoditura sit fideliter?

Eodem sæculo quinto eundem canonem habent Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. & Gelasius in Concil. Rom. 70. Episcoporum; quarto denique sæculo Concilium Carthagin. III. cap. 47. Porro quod Ecclesia Africana etiam antea ab initio habuerit, suaderi potest ex Tertulliano & Cypriano, qui libros omnes hoc canone contentos citant ut scripturam divinam, excepto fortasse uno aut altero ex veteri testamento. Sed

Nota. Pro sequentibus articulis. Libri canone nostro comprehens, in duplici sunt classe: prima est eorum, qui ut sacri & divini semper ab universa Ecclesia recepti fuerunt, unde proto-canonicali nuncupantur: secunda eorum est, quorum divinitas non ita semper explorata fuit in universa Ecclesia, & ita ab aliquibus catholicis aliquando in dubium revocata, aut etiam negata est, unde vocantur Deutero-canonicali.

ARTICULUS IV.

Quinam ex libris veteris Testamenti, canone nostro comprehens, sint proto-canonicali, quinam vero deutero canonicali.

RESPONSIO I.

Libri proto-canonicali ex veteri Testamento, sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon duo, Esdra primus & secundus, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetarum minores.

Prob. Nam de his libris nulla unquam fuit controversia inter Christianos, sed in universa Ecclesia semper recepti fuerunt ut sacri & divini. Patet 1. ex omnibus Patribus, Conciliis & Pontificibus, qui sacrorum librorum Testamenti veteris catalogum texuerunt, & in eum retulerunt libros omnes modò recensitos: hos etenim in catalogum illum retulerunt secundo sæculo Melito Sardinum episcopus apud Eusebium, lib. 4. histor. Eccles. cap. 26. Tertio Origenes apud eundem Eusebium, lib. 6. histor. Eccles. cap. 18. Quarto, Concilium Laodicenum, Hilarius præf. in lib. Psalmorum num. 15. Gregorius Nazianzenus, in carmine de veris ac genuinis scripturis, Cyrillus Hierosol. cateches. 4. Concilium Carthagenense III. cap. 47. Hieronymus in Prologo Galeato. Quinto, Innocentius I. in epist. ad Exup. cap. ult. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Gelasius in Concil. Rom. Septimo, Isidorus Hisp. lib. 6. originum seu etymologiarum cap. 1. Octavo, Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. Decimosexto denique Oecumenica Synodus Tridentina. Patet 2. ex eo quod omnes alii Patres tam græci quam latini, hos libros ut sacros & divinos passim citent in suis operibus.

RESPONSIO II.

Libri deutero-canonicali ex veteri Testamento sunt, Esther, Baruc, Danielis pars, nempe Hymnus trium puerorum, Susannæ historia & historia, draconis, quem Daniel interfecit; Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, libri Machabæorum duo; primus & secundus.

Prob. Nam horum divinitas non ita fuit semper explorata in universa Ecclesia, ut unanimi omnium fidelium consensu recepta fuerit & credita, sed tandem universalis Ecclesiæ definitione sancita est. Ergo, &c. Prima pars ant. ostenditur, 1. de libro Esther. Nam Melito Sardinensis apud Eusebium illum prætermittit. Item omittit illum Gregorius Nazianzenus, cum hac clausula: *Si quid extra hæc* (hoc est, extra catalogum modò ex veteris testamenti libris concinnatum) *invenitur, inter adulterinos libros numerandum est.* Item Synopsis Athanasiana disertis verbis eum à canonicis scripturis amandat. Item Hieronymus hujus libri capita 11. 12. 13. 14. 15. 16. cum majore parte decimi, saltem ut suspecta habuisse colligi potest ex præfatione & annotationibus in hunc librum.

2. De Baruc: quia apud Hebræos nec legebatur, nec habebatur, ut testatur Hieronymus in præf. in Hieremiam, & idcirco illum in sua veteris testamenti interpretatione prætermittit, ut ibidem refert. Præ-

terea, in librorum sacrorum catalogis, quos Patres, Concilia, & Pontifices olim texuerunt, expressa illius mentio non invenitur, exceptis tribus, Concilii scilicet Laodicensi, Hilarii, & Cyrilli Hierosolymitani, in quibus post Hieremiam Baruc ponitur.

3. De enumeratis Danielis partibus: nam Hieronymus in præfatione in Daniele sic de illo loquitur: *Apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisque fabulas: quas nos, quia in toto Orbe disperse sunt, verò anteposito, easque jugulante subiecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Quibus verbis aperte significat, se illas Danielis partes ut spurias & supposititias habuisse. Præterea, Julius Africanus in epistola ad Origenem scripta, ut refert Eusebius lib. 6. histor. Eccles. c. 23. assererat historiam Susannæ fictam videri, & alienam à scriptura prophetica. Denique in Synopsi Athan. dicitur, historiam Susannæ contradi-

4. De reliquis: nam 1. Melito, Origenes, Concilium Laodicenum, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus Hierosolymitanus non habent illos in suis Catalogis. 2. Synopsis Athanasii eos expressis verbis excludit. 3. Damascenus expressè excludit librum Sapientia & Ecclesiastici, reliquorum verò non meminit. 4. Denique libros illos omnes extra Hebræorum canonem esse docet Hieronymus in Prologo Galeato.

Secunda pars ant. patet ex Sessione 4. Synodi Tridentinae in decreto de canonicis scripturis, in quo libri illi omnes cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, inter sacras & canonicas scripturas numerantur, & anathematizantur ii, qui eos pro sacris & canonicis scripturis non susceperint.

Porro libri illi omnes, etiam ante Tridentinam Synodum, magnam semper in Ecclesia habuerunt auctoritatem, ut ostenditur, 1. de libris Sapientia, Ecclesiastici, Tobias, Judith, & Machabæorum primo & secundo. Hos enim libros in librorum sacrorum canone collocant Synodus Carthagenens. III. Innocentius I. Augustinus, Gelasius, & Isidorus Hispan. Præterea, à Patribus græcis & latinis citantur ut scriptura divina. Denique Ecclesia Romana eos ut canonicos semper habuit: nam habebat eos in suo canone tempore Innocentii I. Ergo antea semper habuerat; alioqui dicitur sub quo Pontifice, & ex qua occasione cœperit habere.

2. De libro Esther, etiam quoad septem postrema capita, & de libro Danielis, etiam quoad illas partes, quibus contradiçtum est. Nam sic argumentor. Hos libros canonicis scripturis annumerant Concilium Laodicenum, Concilium Carthagenense III. Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Innocentius I. Augustinus, Gelasius, Isidorus Hisp. & Damascenus, atque canonicis scripturis annumerant libros illos, quales habebantur in vulgata editione, qua utebatur universa Ecclesia, & quæ græcorum lingua & litteris continebatur, ut testatur Hieronymus in annotatione ad c. 10. libri Esther. Sed liber Esther cum septem postremis capitibus, & liber Danielis cum illis partibus, quibus aliquando contradiçtum est, habebantur in vulgata illa editione, qua utebatur universa Ecclesia, ut de libro Esther expressè asserit Hieronymus in suis annotationibus ad ejus septem postrema capita, & de libro Danielis colligitur ex eodem Hieronymo præfatione in Daniele, ubi ait, se prædictas Danielis partes ausum non esse prætermittere, quia toto Orbe disperse erant, & ne videretur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Quare autem hoc, nisi quia partes illæ Danielis legebantur in vulgata editione, quæ terebatur manibus omnium?

Confirm. De utroque libro: nam vulgata illa editio, quæ in tota Ecclesia erat recepta, & græcè *καὶνὴν* dicebatur, teste Hieronymo præfatione in lib. 6. in Isaiam, teste cod. Hieronymo in sua ad Augustinum epistola,

epistola, quæ inter Augustinianas undecima est, fuit ea quam Origenes concinnavit ex interpretatione lxx. Seniorum, & Theodocionis versione, & in eam multa quæ apud Hebræos non inveniebantur, transtulit, quæ scilicet vel utraque versio, vel alterutra habebat. At 1. utraque versio habebat septem postrema capita libri Esther, ut colligitur ex Origenis ad Africanum epistola. 2. Patres Danielis aliquando controverfas, & ab Hebræis rejectas habebat saltem Theodocionis versio, ut ex eadem Origenis epistola colligitur. 3. Et has Danielis partes, & illa libri Esther capita editioni suæ inseruissæ Origenem, probat eadem illius epistola, in qua illa omnia ut sacram & canonicam scripturam defendit. Ergo vulgata editio, quam sequebantur Concilia & Patres, qui texuerunt canones, & in illos retulerunt libros Esther & Daniel, habuit septem postrema capita libri Esther, & Danielis partes, quibus aliquando contradicendum est, adeoque hæc partes Danielis, & illa Esther capita à dictis Patribus & Conciliis inter sacras & canonicas scripturas computata fuerunt.

3. De Baruc ostenditur breviter, quia à multis Patribus, Cypriano scilicet, Ambrosio, Clemente Alexandrino, Theodorico, Eusebio, &c. ut Scriptura Sacra laudatur locis citatis apud Bellarminum lib. 1. de verbo Dei cap. 8. Præterea, libris sacris ac canonicis accensetur à Concilio Laodiceno & Cyrillo Hieros. & ab Hilario sub nomine Epistolæ. Denique quod Concilium Carthaginense III. & alii Patres ac Pontifices antiqui, qui librorum sacrorum canonem composuerunt, nomine Hieremias, Baruc velut illius partem vel appendicem comprehenderint, satis probatur ex eo quod Baruc notarius ac discipulus fuerit Hieremias, & sub Hieremias nomine à multis ex veteribus Patribus citatus fuerit. Consule Bellarminum cap. citato.

ARTICULUS V.

Proponuntur aliquæ difficultates contra Scripturas deuterocanonicas veteris testamenti, & solvuntur.

Obj. 1. Septem postrema capita libri Esther non coherent cum prioribus. Nam cap. 2. dicitur duos Eunuchos Assueri, regis vitæ insidiosos esse anno regni ejus septimo; tum cap. 6. additur Mardocheum nullam pro patefactis insidiis mercedem accepisse. At eadem insidia iterum narrantur c. 11. 12. & dicitur factas esse anno secundo Assueri, & Mardocheum pro delatione remuneratum.

Nota. Initium capitis 1. pertinet ad finem libri; reliquum verò, ab inserta scilicet Hieronymi annotatione, cum 11. & 12. capite ad initium, & ad medium caput 13. cum subsequentibus omnibus, ut manifestum est ex græcis codicibus. Omnia tamen ad finem libri amandavit Hieronymus; quia, ut ipse testatur in suis annotationibus, ea non in hebræo codice, sed in vulgata editione græca reperit, & ex illa transtulit: ea autem sic manere propter eandem fortasse rationem, hæcenus passa est Ecclesia. His prænotatis,

R. 1. Eunuchorum insidiæ per anticipationem narrantur cap. 12. quod ad initium libri pertinet, & postea suo loco narrantur cap. 2. Item eod. cap. 12. per anticipationem dicitur Mardocheus pro dilatione mercedem accepisse, quod non adveniat c. 6. ubi tantum dicitur, eo tempore quo Rex iussit sibi regni sui annales relegi, nihil planè mercedis Mardocheo cætenus retributum esse, & statim subiicitur amplissimam esse datam. 2. Dato quod c. 2. dicatur, ab Eunuchis Regi factas esse insidias anno regni ejus septimo, hoc non repugnat c. 12. ubi, ut jam observatum est, per anticipationem narrantur Eunuchorum insidiæ: illud enim c. 11. Anno 2. regnante Artaxerxe maximo, pertinet tantum ad Mardochei somnium, quod ibi narratur, nec extendi debet ad ea quæ narrantur c. 12.

Simonet Theol. Tom. II.

Dices. Tota illa historia Esther est mera fabula: non enim dici potest, quis fuerit ille Assuerus Persarum rex, sub quo contrigisse narratur. *Resp.* nego inst. *Ad prob. Resp.* Cum Josepho lib. 11. antiquitatum Judaicarum c. 6. Regem illum Persarum, quem hebræus textus Assuerum appellat, & lxx. Interpretes Artaxerxem nominant, fuisse Artaxerxem cognomento Longimanum, qui quintus à Cyro Babylone imperavit, & septimo imperii sui anno uxorem duxit Esther hebræam, neprem Mardochei, quem secundum à rege Assuero in Persarum & Medorum regno fuisse dicitur lib. Esther c. 10.

At inquit. Quod Mardocheus ad septimum Artaxerxis annum pervenerit, prorsus incredibile est: ut enim dicitur lib. Esther cap. 2. cum Jechonia rege à Nabuchodonosore magno Babylonem translatus fuit, & ita cum Jechonias captivus abductus est, jam aliquot saltem annos natus erat, adeoque si superstes adhuc erat anno Artaxerxis septimo, supra centum & sexaginta annos vixit, quod omnem superat fidem.

Ad hanc difficultatem, quæ non levis est, responderi potest, Mardocheum cum Jechonia Babylonem translatus fuisse, non in se, sed in parentibus; cuius responsionis bonitas suaderi potest ex eo quod, Genes. cap. 46. dicitur, septuaginta scilicet animas domus Jacob ingressas esse in Ægyptum, in quo numero comprehenduntur duo filii Joseph, Manasses & Ephraim, qui tamen nati sunt in terra Ægypti, proindeque non in se, sed in parente Ægyptum sunt ingressi.

Obj. 2. Contra librum Danielis. Caput 14. in quo narratur historia draconis à Daniele interfecti, pugnat cum cap. 6. Nam cap. 6. Daniel dicitur una nocte fuisse in lacu leonum; & cap. 14. dicitur fuisse sex diebus. *Resp.* neg. 1. Itaque Daniel bis missus fuit in lacum leonum, semel Babylone, seditione à Babyloniis mota, eò quod idolum Bel destruxisset, & interfecisset draconem, quem ut Deum colebant Babylonii, ut narratur cap. 14. semel verò non Babylone, sed in Media, quod eum Darius Medus secum abduxerat, Babylone capta ut scribit Josephus lib. 10. antiq. Jud. c. 12. Hac autem vice, ut narratur cap. 6. Danielem in leonum lacum mittendi causa fuit, quod contra edictum, quo prohibebatur ne quis ulque ad triginta dies aliquem, sive Deum, sive hominem, nisi solum Regem oraret, inventus esset orans, & obsecrans Deum suum.

2. Prima vice qua Daniel in lacum leonum missus est, in eo mansit dies sex, quod dicitur capite 14. Hoc autem sub Evilmerodacho, filio Nabuchodonosoris magni, circa regni ejus initia contigisse tradit Sallianus noster in Epitome ad annum mundi 3473. Altera verò vice qua in lacum leonum missus est Daniel, in eo una tantum nocte relictus est, quod dicitur cap. 6. Ex quo etiam liquet, id contigisse sub Dario Medo, postquam scilicet Daniel expugnata Babylone, in ejus potestatem venerat, & unus è tribus primariis regni administris ab eo constitutus fuerat.

At inquit. Gratis dicitur historia, quæ narratur cap. 14. contigisse sub Evilmerodacho, qui Nabuchodonosori magno proximè successit. *Resp.* neg. Nam hæc historia contigit vel sub Nabuchodonosore magno, vel sub Evilmerodacho, vel sub Baltasare Evilmerodachi successore, vel denique sub Cyro post Darii Medi obitum; quo tempore ad unum Cyrum Medorum ac Persarum dominatio devoluta est: nulla enim alia tolerabilis sententia afferri potest.

1. Autem dici non potest, quod hæc historia contigerit sub Nabuchodonosore, Daniele adhuc puero, & sub idem tempus, quo Susannam liberavit, ut fert prima sententia: nam, ut dicitur c. 14. *Erat Daniel conviva Regis, & honoratus super omnes amicos ejus*, quando propter demolitionem idoli Bel, & draconis interfectionem, in lacum leonum conjectus est. Danielem autem, cum adhuc esset puer, fuisse convivam Nabuchodonosoris, & honoratum

T 4 super

super omnes amicos ejus, quis crediderit? Nec dici potest hanc historiam contigisse quidem sub Nabuchodonosore, sed postea, quando Daniel grandior factus, & primum Regis somnium interpretatus, in subitane ab eo elatus, & princeps super omnes provincias Babylonis constitutus est, ut dicitur cap. 2. Tunc enim temporis Babylonios adversus magnum Nabuchodonosorem seditionem movere aulos, quis facile in animum induceret?

2. Dicit non potest, quod hæc historia contigerit sub Baltalare: quod enim Daniel ab eo neglectus, imò vix ei notus fuerit haberetur ex cap. 5. ubi Baltalar ea nocte, qua & regno & lucis ulura privatus est, Daniele ad se introductum his affatur verbis: *Tu es Daniel de filiis captivitatis Jude?* 3. Denique dici non potest, quod hæc historia contigerit sub Cyro: nam si sub Cyro contigit, certè primo anno quo post obitum Darii cæpit solus imperare: Daniele enim non ultra hunc annum in vis fuisse colligitur ex cap. 1. ubi dicitur: *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.* At quod Babylonii recens contriti, contra Cyrum multare ausi sint, nedum in eum irruere vehementer, ejusque minas intentare, dicendum: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam,* credibile non est. Superest igitur ut dicatur hæc historia contigisse sub Evilmerodacho,

At inquit. Postrema verba capituli 13. pertinent ad caput 14. ut manifestum est ex græcis codicibus, juxta quos sic legendum est: *Et rex Assyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum ejus, & erat Daniel conviva regis, & honoratus super omnes amicos ejus.* Resp. Ita esse: unde, ut nobis videtur, scriptura aperte significat Danielem, propter destructum Bel, & draconem interfectum, Babylone in lacum leonum conjectum fuisse sub idem tempus quo Cyrus, Assyage deturbato, adeoque civiliter mortuo, in Perside rerum potiri cæpit, Dario Assyagis filio adoptivo in Media regnare permisso, hoc est, sub finem regni Evilmerodachi, quo tempore Assyages iusto prælio superatus, & regno spoliatus est à Cyro.

Rex igitur, cujus Daniel erat conviva, & apud quem præ cæteris omnibus aulicis gratia valebat, sub id tempus quo Cyrus suscepit regnum Assyagis, non fuit Cyrus ipse, qui Babylonios sub jugum non misit, adeoque Judæos Babylone captivos in potestate sua non habuit, nisi post annos à victoria de Assyage reportata plurimos; sed Evilmerodachus, cujus regno ad finem vergente, Assyagis ruina contigit. Daniel igitur sub Evilmerodacho, non primo aut secundo, ut vult Sallianus, sed penultimo aut ultimo regni ejus anno, missus est in lacum leonum, quia Bel destruxerat, & draconem interfecerat.

At inquit. Si ita est, quomodo vix notus fuit Baltalari, qui Evilmerodacho patri suo proximè successit? Resp. Id factum esse, vel quia Baltalar amicos parentis à se rejecit, aliosque regni administratos habere voluit, vel quia Daniel se ipse sponte subduxit ex impii Principis aula, & deinceps vitam egit privatam: unde minime mirum est, quod Baltalar Danielis post annos viginti & amplius vix meminerit, præsertim cum principes tam facile eorum obliviscantur, quorum non utuntur consuetudine.

Obj. 3. Contra eundem librum Danielis, Caput 13. quo continetur historia Susannæ, pugnat cum capite 1. Nam c. 13. dicitur Daniel fuisse puer, cum Susannæ judicium exercuit; & cap. 1. dicitur Danielem puerum cum Joachino rege à Nabuchodonosore Babylonem translatum fuisse. Resp. neg. obj. Ad prob. Resp. 1. Caput 13. pertinere ad initium libri, exceptis postremis verbis: *Et rex Assyages appositus est,* &c. ut manifestum est ex codicibus græcis. Hanc tamen Susannæ historiam ad finem libri amandavit Hieronymus; quia, ut patet ex ejus ad c. 13. annotatione, non eam legit in hebræo volumine, sed ex Theodorionis editione transtulit. 2. Susannam anno transmigrationis tertio fuisse liberatam à

Daniele puero, utpote duodecim tantum annos nato. Vide Sallianum in epitome ad annum Mundi 3438.

Obj. 4. Contra librum Tobie, Caput 3. & 9. pugnant inter se: nam cap. 3. dicitur Sara Tobie junioris futura uxor, habitasse in Rages Medorum, ubi etiam habitasse Gabelum cap. 4. narratur; & tamen cap. 9. Tobias junior, cum in locum ubi habitabat Sara, pervenisset, Angelum misit in Rages ad Gabelum. Resp. neg. obj. Ad prob. R. breviter, vel fuisse duas Rages in Media, vel potius, cum dicitur Sara in Rages habitasse, per Rages non ipsam civitatem, sed civitatis agrum intelligi.

Obj. 5. Contra librum Judith, Tota hæc historia Judith est mera fabula: non enim dici potest quo tempore contigerit. Resp. neg. obj. Ad prob. Resp. plures esse de tempore quo contigit hæc historia, sententias, quas omnes hic examinare superfluum esset. Nobis omnino videtur tenenda esse sententia eorum qui dicunt eam contigisse sub Manasse rege Juda, & Merodacho Babyloniorum rege, qui etiam cap. 2. Nabuchodonosor vocatur, non quidem ille, qui cognomento Magnus, Hierosolymam expugnavit, & Judæos in Babyloniam transtulit, sed ejus proavus, & Babyloniorum seu Chaldæorum imperii fundator, qui tamen c. 1. appellatur Assyriorum Rex, eò quod maximam eorum regni partem occupasset.

Itaque, ut quæ ad plenam præsentis difficultatis solutionem conducere possunt, facilius intelligas, brevem hanc rerum ac temporum rationem accipe. Anno Ezechie regis Juda sexto, Samaria à Salmanazare Assyriorum rege capitur, regnum Israeliticum funditus evertitur & Israelitæ, inter quos erat Tobias, vir sanctitate insignis, in Mediam captivi abducuntur.

Anno Ezechie decimo sexto, Sennacherib, Salmanazaris successor, exercitu quo Hierosolymam obsidebat, ab angelo ad internecionem deletus, Ninivem fugit, & à duobus filiis natu majoribus in templo Nefroch interficitur, eò quod Assaraddonem filium natu minimum, regni successorem designasset.

Eodem anno, ex tantæ cladis, cadis Sennacherib, patricidarum fugæ, & Assaraddonis infirmæ ætatis occasione, Merodach Babyloniorum prorex, contra Assyrios rebellat, & Babylone regem agit. Porro vel tunc temporis, vel saltem aliquantò post, Medi Babylonios imitati, ab Assyriis quoque deiecerunt, & Arphaxad sibi regem constituerunt.

Anno Ezechie vigesimo quinto, Assaraddon, inito cum Merodacho certamine, vincitur, & regno simul ac vita privatur, sicque maxima tandem regni Assyriorum pars cedit in Merodachi dominationem, quam ob rem multis hic annus imperii Babylonici initium est.

Anno regni sui vigesimo nono, moritur Ezechias, & regni hæredem relinquit Manasse, natum annos duodecim. Anno autem Manassis septimo, in eum, eò quod tributum negaret, mover arma Merodach, caprumque Babylonem transfert, & in carcerem conjicit: at non multò post à Deo ad clementiam inclinatus, juvenem principem, regis, quocumque amicitie vinculo conjunctus fuerat, filium, & fidem cum vetricali promittentem, anno sequenti liberum dimittit.

Anno igitur regni sui octavo, Hierosolymam rediit Manasses. Hoc eodem anno Merodach pugnat contra Arphaxad Medorum regem, & victoriam obtinet, casu Medorum rege, eorumque dominatione everfa; nec integro Assyriorum imperio contentus, ad imperium totius tetarum Orbis animum adjicit.

Anno itaque Manassis nono, Merodach Olophernem cum ingenti exercitu mittit. Hic obvis regionibus omnibus latè vastatis, Bethuliam obsidet; Manasse, ne fidem recens datam violasse videretur, nolente sese huic bello immiscere, Pontifex Eliakim, qui & Joakim appellatur, rem solus administrat, à Judith tertium & trigessimum annum vix agente, Olopherni caput abscinditur; Bethulia ad extremas angustias redacta liberatur; Babyloniorum exercitus profligatur;

figatur; Merodachi ambitio per mulierem repressa quiescit, & diuturna pace Judaica respublica fruitur. nam ut dicitur cap. ultim. Judith, *in omni spatio vite ejus non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem ejus annis multis.* Vixit autem Judith annos centum quinque, ut ibidem dicitur, addeque annos septuaginta duos à truncato Olopherne; quibus si decem alios addideris, aderit Nobolassar Babyloniorum regis ultimus, & Joachim regis Juda tertius, quo anno à Nabucodonosore magno Nobolassar filio, primum obfessa & capta est Hierosolyma. Hanc cladem post annos octo, Judæorum in Babylonem transmigration; & transmigrationem hanc post alios duodecim, civitatis & templi deflagratio lubsecuta est.

Obj. 6. contra librum Sapientia. Hic liber non fuit ab authore sacro conscriptus, Ergo, &c. Neg. ant. *Probabis.* Si fuit ab authore canonico conscriptus, certe à Salomone. Atqui hoc dici non potest: nam, ut ait Hieronymus præfat. in libros Salomonis, *hic liber apud Hebræos nusquam est, quin & ipse stylus græcam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judæi Philonis affirmant.* Hinc Hieronymus hoc loco librum hunc *pseudepigraphum*, hoc est, falsò inscriptum nominat. Ergo, &c.

R. neg. min. Nam 1. omnes ecclesiastici scriptores, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, Salomonem hujus libri authorem agnoverunt. Hujus facti testis est Eusebius lib. 4. hist. eccl. c. 23. ubi de Egesippo, qui secundo sæculo floruit, sermonem habet. Sic autem loquitur: *Verum & hic ipse (Egesippus), & Irenæus, & omnis antiquorum chorus, librum qui adtribuitur Sapientia, Salomonem esse dixerunt.* Quod confirmatur testimonio Tertulliani lib. de præscrip. c. 7. ubi sic ait: *Nostri institutio de porticu Salomonis est, & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse querendam;* quod legitur c. 1. l. Sap. Et S. Cypriani lib. de mortalitate, ubi hæc habet: *Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant, maturius istinc eximi:* tum citat hæc cap. 4. lib. Sap. verba: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.*

2. Eundem Sapientia librum Salomoni attribuunt sæculo quarto S. Hilarius tract. in Psal. 127. ubi hæc habet: *Salomon itaque ait: Quæsi sapientiam sponsam adducere mihi ipsi.* Quæ verba sunt c. 8. Et Concilium Charchaginense III. c. 47. Quinto verò sæculo idem facit Innocentius I. in epist. ad Exup. cap. 7.

3. Hujus libri cap. 9. legitur: *Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum: & dixisti me edificare templum in monte sancto tuo.* Quæ verba soli Salomoni convenire possunt. Sed ut aliquid Hieronymo concedamus, dicimus saltem sententias libri Sapientia esse Salomonis, ut manifestum est ex verbis modò laudatis, easque fuisse græco sermone collectas ab aliquo alio ex inspiratione divina, qui fortasse fuit Philo, non ille qui post Christum vixit, & Judæorum legatione functus est apud Cæsarum imperatorem, sed alius longè antiquior.

Obj. 7. contra lib. 1. Machabæorum. Cap. 1. dicitur Alexander primus regnasse in Græcia, & tamen ante illum in Græcia multi fuerunt reges. Item eodem cap. dicitur Antiochus illustris regnasse anno 137. regni Græcorum, & tamen regnavit anno 155. Item cap. 8. dicit Romanos magistratum suum committere uni homini, & tamen tunc temporis creabantur duo Consules.

R. ad 1. Scripturam intelligere, non quodvis regnum, sed Græcorum monarchiam, quam primus obtinuit Alexander. Ad 2. Antiochum Epiphaneum regnasse anno 156. si ab Alexandro qui novemdecim annis imperavit, annos imperii Græcorum numeres; si verò numeres à Seleuco, regnasse anno 137. Judæi autem, Asianorum consuetudinem secuti, non ab Alexandro, sed à Seleuco, qui primus imperavit in Asia, imperii Græcorum initium duxerunt. Ad 3. sic loqui scripturam, vel quia

alternis diebus imperabant consules, quia penes unum erat præcipua autoritas.

Obj. 8. contra librum 2. Machabæorum. Cap. 2. dicitur Jeremias occultasse tabernaculum & arcam fœderis, quod certè contingere non potuit, nisi circa finem regni Sedecia, & aliquantò antequam spoliaretur & dirueretur templum, quo tamen tempore fuit in carcere Hieremias. Item c. 1. dicitur Antiochus Epiphanes cecidisse in templo Naneæ; cum tamen lib. 1. c. 6. dicatur Babylone mortuum esse in lecto suo. Item eod. cap. 1. dicitur Judas scripsisse epistolam anno 188. cum tamen lib. 1. cap. 9. dicatur occisus esse anno 152.

R. ad 1. anno Sedecia ultimo Hieremiam, cum esset futurorum præcius, aliquos ex primariis sacerdotibus viros religiosos de imminente desolatione admonuisse, arque hortatum esse, ut tabernaculum & arcam fœderis clam auferrent, & in subterraneo aliquo loco absconderent, quod ipsi, Deo protegente, præstiterunt ea fortassis nocte, qua Chaldæi muros civitatis occuparunt, & ex urbe fugit Sedecias. Postea verò Hieremias, cum à Nabusardan Chaldæorum duce iussu Nabuchodonosoris in libertatem assertus, & sui juris factus fuisset, divinitus de loco, in quo tabernaculum & arca fœderis absconsa fuerant, admonitus, facillè potuit illa trans Jordanem ad montem; ex quo Moyses morti proximus Chanaanitidem contemplatus fuerat, transferre.

R. ad 2. Scripturam lib. 2. c. 1. loqui de Antiocho, quem Eusebius Siderem, Soterem Josephus cognominat, Demetrii Soteris filio natu minore, qui fratre natu majore Demetrio Nicanore apud Parthos fugitivo, regnare cepit imperii Græcorum anno 174. & cum multis Judæos malis affecisset, anno ejusdem imperii 181. lapidibus obrutus est in fano Naneæ, quod cum paucis imprudens ingressus fuerat, sperans se deam in uxorem, & ingentes pecunias dotis nomine accepturum. At lib. 1. c. 6. scriptura loquitur de Antiocho Epiphane, quem dicit mortuum esse anno ejusdem imperii 149. non Babylone, sed cum in Babylonem, caeso à Persæopolitans ejus exercitu, reverteretur: neque enim eo usque pervenire potuit, sed peregre in montibus miserabili obitu vita functus est, ut dicitur l. 2. c. 9.

R. ad 3. Scripturam lib. 2. cap. 1. loqui de Judeo quodam, cujus nomen erat Judas, quem Josephus lib. 13. antiq. Jud. cap. 19. scribit fuisse prædictionibus celebrem, & Antigoni filii Hyrcani mortis diem & locum prænucciasse, quique cum magna apud Judæos valeret autoritate, cum senatu scripsit epistolam, quam Judæi, qui erant Hierosolymis, anno 188. scripserunt Judæis, qui erant in Ægypto. At lib. 1. cap. 9. scriptura loquitur de Juda Machabæo, qui anno 152. prælio cum Bacchide commisso, cum fortiter pugnaret, occisus est.

ARTICULUS VI.

Quinam ex libris novi Testamenti canone nostro contentis, sint proto canonici, quinam verò deutero canonici.

R. *Esp. 1.* Libri ex novo Testamento proto canonici sunt Evangeliorum libri quatuor, Matthæi scilicet, Marci, Lucæ, & Joannis; Actus Apostolorum ab eodem Luca evangelista conscripti; Epistolæ Pauli tredecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una; Epistolæ canonice duæ, prima scilicet Petri, & prima Joannis.

Prob. Nam hæc scripturæ omnes ut sacræ & divinæ semper ab universa Ecclesiâ absque ulla inter fideles controversia recepta fuerunt. Patet 1. ex eo quod Patres omnes, omnia Concilia, Pontifices omnes, à quibus librorum sacrorum novi Testamenti catalogus conscriptus est eas omnes in canonem regulaverunt: Sæcu.

Sæculo tertio Origenes apud Euseb. l. 6. hoc eccl. c. 18. Sæculo quarto Athanasius in synopsi, Cyrillus Hierosol. catech. 4. Gregor. Nazianz. carmine de genuinis scripturis, Concilium Laodicense can. ult. & Concilium Carthag. III. c. 47. Sæculo quinto S. Augustinus lib. 2. de doctrina christ. c. 18. Innocentius I. in epist. ad Exuperium cap. 7. & Gelasius in Conc. Rom. Sæculo septimo S. Isidorus lib. 6. etymol. cap. 1. Sæculo octavo S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. Sæculo decimo sexto Synodus Tridentina sessione 4. Pater 2. ex eo quod Patres alii, tam Græci quam Latini, libros illos ut divinos laudent, & ex illis testimonia expromant.

R. 2. Libri ex novo Testamento deuterocanonici sunt, epistola ad Hebræos, epistola Jacobi, secunda Petri, secunda & tertia Joannis, epistola Judæ, & Apocalypsis, cui, Marci capite ultimo; historia sudoris sanguinis Christi, apparitionis, & consolationis angelicæ in Evangelio Luca, accedit.

Prob. Nam harum scripturarum divinitas, quæ per expressam Ecclesiæ definitionem declarata & confirmata, nunc est extra omnem controversiam posita, non fuit semper explorata & indubitata in universa Ecclesia, ut de singulis ostenditur.

1. De epistola ad Hebræos: nam sæculo quarto apud Latinos aliquos dubia erat ejus autoritas, teste Eusebio, lib. 3. hist. eccl. c. 3. Pauli, inquit, manifeste quatuordecim sunt epistolæ, quæ in auctoritate habentur, licet sciam apud Latinos de epistola, quæ ad Hebræos scribitur, haberi dubitationem: imò & ante sæculum quartum de ea dubitarum esse, testis est Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. cap. 18. ubi sic loquitur: Quamvis nonnulli de ea, quæ ad Hebræos scripta est, dubitaverint, pro eo quod non videatur in ea servari ejus (Pauli) illa sententia, quem de se ipse pronunciat, dicens se imperitum esse sermone. Denique hanc epistolam non à Paulo, sed à Barnaba conscriptam fuisse sensit Tertullianus, ut refert S. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum in Paulo. At Barnabas non fuit scriptor canonicus: nam ut dicit idem Hieronymus in Barnaba, Barnabas unam ad edificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur.

Porro hæc Pauli ad Hebræos epistola semper habuit gravissima divinitatis suæ argumenta: nam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis in Ecclesia Alexandria, quæ fuit una ex apostolicis, indubitanter recepta fuit ut canonica, & Pauli epistola. Hujus facti relictum habemus locupletissimum Origenem apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. ubi sic ait post verba superius laudata. Sed ego dico, sicut mihi à majoribus traditum est, quia manifestissime Pauli est, & semper omnes antiqui majores nostri ita eam in Pauli epistolam susceperunt. Origenis auctoritatem confirmat synopsis Athanasii, si tamen verè Athanasii est.

Hanc Pauli epistolam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis non solum ab Ecclesia Alexandria, sed etiam ab omnibus omnino Ecclesiis ut canonicam receptam fuisse, probari potest auctoritate S. Hieronymi in epistola ad Dardanum, ubi etiam testatur ab omnibus scriptoribus Græcis, qui ab Ecclesiæ exordio eam floruerunt, susceptam esse quasi Pauli Apostoli. Illud nostris, inquit, dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed omnibus retrò Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi. Unde Latinos illos, qui sua ætate eam inter scripturas canonicas non recipiebant, improbat, illorumque auctoritati veterum auctoritatem anteponebat, eam sicut & Apocalypsim, quam tamen tunc temporis non recipiebant Græcorum Ecclesiæ, ut scripturam divinitus inspiratam intrepidè suscipit. Nam sic prosequitur: Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas: nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt: & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam

hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.

Ex his S. Hieronymi verbis habetur hanc epistolam ab aliquibus quidem, imò fortasse à multis Latinorum Ecclesiis inter canonicas scripturas non fuisse receptam quarto sæculo ad finem vergente, sed simul tunc temporis magno consensu susceptam fuisse ut scripturam canonicam ab Ecclesiis Orientalibus. Denique in librorum sacrorum catalogo ponunt eam Origenes, Concilium Laodicense, Synopsis Athanasii, Cyrillus Hierosol. Gregorius Nazianz. Concilium Carth. III. Augustinus, Innocentius I. Galasius, Isidorus Hisp. & Damascenus.

2. De epistola Jacobi: nam aliquando à nonnullis assertum est eam non à Jacobo, sed ab alio sub ejus nomine scriptam fuisse, adedque à nonnullis assertum est aliquando eam non esse canonici scriptoris. Testatur hoc Hieronymus catalogo script. eccl. in Jacobo, ubi sic ait: Unam tantum scripsit epistolam, quæ de septem catholicis est: quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita assertur; licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit auctoritatem. Præterea, de hac epistola ab aliquibus dubitarum esse in Ecclesia catholica, scribit Eusebius lib. 3. hist. eccl. cap. 25.

3. De epistola Judæ: nam à multis rejecta fuit olim in Ecclesia catholica, ut testatur Hieronymus eodem catalogo in Juda. Judas, inquit, frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur: tamen auctoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.

4. De secunda Petri: nam de ea ab aliquibus catholicis dubitarum esse, constat ex Origene apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. Petrus, inquit, super quem Christi fundatur Ecclesia, duas tantummodo epistolas scribit, è quibus à nonnullis & de secunda dubitatur. Et ex Hieronymo eod. catal. in Petro ubi hæc habet: Scripsit duas epistolas, quæ catholica nominantur, quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam.

5. De secunda & tertia Joannis: nam quod verè sint Joannis, olim inter fideles controversum fuisse constat ex Origene apud Eusebium loco proxime citato, ubi sic ait de Joanne Evangelista: Scripsit autem & tres epistolas, è quibus due per breves, de quibus & apud quosdam dubia sententia est. Ex ipso Eusebio lib. 3. cap. 25. ubi hæc scribit: Joannis autem extant præterea epistolæ, de quarum prima neque ab antiquis unquam, neque à posteris dubitatum est. De reliquis verò duabus, & de revelatione etiam nunc anceps sententia habetur. Et ex Hieronymo eod. catal. in Joanne, ubi hæc scribit: Scripsit autem & unam epistolam, cujus exordium est. Quod fuit ab initio... quæ ab universis ecclesiasticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem due... Joannis presbyteri (adedque scriptoris non canonici) assertuntur, cujus & hodie alterum sepulcrum apud Ephesum ostenditur.

De his porro epistolis sic aliquando inter fideles extitit controversia, ut semper pro se majora habuerint momenta, ut manifestum est ex eo quod inter divinas scripturas computatæ fuerint à Concilio Laod. ab Athanasio in Synopsi, à Cyrillo Hieron. à Gregorio Nazianz. ab Hieronymo locis laudatis, à Concilio Carth. III. ab Augustino, ab Innocentio I. à Gelasio, ab Isidoro, & à Damasceno.

6. De Apocalypsi: nam I. Gajus, qui post sæculi tertii initium floruit, contra Cerinthum disputans, videtur eam inter apocryphas scripturas computasse, eamque non ab Apostolo conscriptam existimasse; sic enim apud Eusebium lib. 3. hist. eccl. cap. 28. loquitur: Sed & Cerinthus per revelationes quasdam, quas velut à magno Apostolo conscriptas, & per Angelos ei revelatas putaret, talia quadam portenta nobis introducit. 2. Tota sæculo quarto dubia fuit ejus auctoritas in plerisque Orientis Ecclesiis, ut colligitur ex Concilio Laodiceno & Cyrillo Hierosol. à quibus in librorum

brorum sacrorum canone prætermissa est. Ex Gregorio Nazianz. à quo similiter est prætermissa, cum clausula generali, libros omnes prætermisissos adulterinis scripturis adnumerante. Ex Eusebio lib. 3. histor. eccl. cap. 25. ubi expressè testatur, de ea etiam suo tempore accipere sententiam haberi; & ex S. Hieronymo in epist. ad Dardanum, in qua scribit Græcorum Ecclesias eam non suscipere.

Porro sic Apocalypicos autoritas aut rejecta, aut saltem in dubium revocata est, ut semper graviora pro se momenta habuerit. Nam Dionysius Corinthius & Irenæus Lugdunensis, ætate & autoritate Gajo superiores, eam ut germanam Joannis Apostoli conscriptionem agnoscunt; hic quidem lib. 5. adversus hæreses c. 26. quod his exorditur verbis: *Manifestius adhuc etiam de novissimo tempore ... significavit Joannes Domini discipulus in Apocalypsi*: ille verò apud Eusebium lib. 3. hist. eccl. cap. 28. ubi refertur Dionysius ille, cum de Joannis revelatione disliceret, Cerinthi mentionem fecisse his verbis: *Cerinthus ... figmentis suis autoritatem magni nominis acquirere, secundum scripturam hujus (Apocalypicos) pravam intelligentiam gestiebat*. Cerinthum reprehendebat Dionysius, quod hæresim suam de terreno Christi regno futuro ex Apocalypsi Joannis Apostoli probare, & sic hæresi suæ magni nominis autoritatem conciliare conaretur.

Dionysium & Irenæum sequitur Origenes apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. cap. 18. ubi sic ait: *Joannes quoque qui supra pectus Domini recubuit, post Evangelium scripsit & Apocalypsim*. Quarto sæculo Apocalypsim ut divinam scripturam suscipiunt Concilium Carth. III. in canone, & Hieronymus in epistola ad Dardanum, ex qua unum apertè colligimus, nempe quod tunc temporis magno & unanimi consensu ab Occidentalibus Ecclesiis susciperetur Apocalypsis; alterum verò expressè habemus, scilicet quod scriptores Ecclesiastici, quarto sæculo superiores, Apocalypsim ut canonicam scripturam plerumque laudant. Audiamus S. Hieronymum. *Quod si eam (epistolam ad Hebræos) Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas; nec Græcorum quidem Ecclesia Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum autoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis ... quasi canonicis & ecclesiasticis*. Denique inter libros sacros Apocalypsim recensent Augustinus, Innocentius II. Gelasius, Isidorus, & Damascenus.

7. De ultimo capite Marci: nam Hieronymi tempore in paucis admodum exemplaribus reperiebatur, quia deerat in omnibus ferè exemplaribus græcis; unde: ut significat idem Hieronymus, poterat tunc temporis impunè repudiari. Patet hæc omnia ex S. Doctoris ad Hedibiam epistola q. 3. ubi hæc leguntur de capite ultimo Marci: *Aut non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur evangelis, omnibus Græcis penè hoc capitulum in fine non habentibus; præsertim cum diversa atque contraria Evangelistis cæteris narrare videatur. Aut hoc respondendum, &c.*

8. De historia sanguinei sudoris Christi, & consolationis angelicæ; nam tempore S. Hilarii in quamplurimis exemplaribus tum græcis tum latinis non legebatur; unde ambebat Hilarius, utrum esset vera scripturæ sacre pars; an non. Patet ex l. 10. de Trin. n. 41. ubi sic loquitur S. Doctor. *Nec sanè ignorandum à nobis est, & in græcis & in latinis codicibus complurimis, vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis aut destit, aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum) certe si quid libri, &c.*

Porro Erasmus de initio capitis 8. Joannis quo continetur historia mulieris adulteræ, olim dubitatum esse colligit ex Eusebio lib. 3. hist. eccl. cap. ult. ubi de Papia loquens, ait: *Historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundum Hebræos, scripta ista parabola, de quo Evan-*

gelio hæc habet: *Quidam his sociant etiam Evangelium, quod dicitur secundum Hebræos, quo præcipue utuntur illi Hebræi, qui Christum suscipere videntur, sed in Ecclesia ei contradicitur*. Erasmo breviter responderetur, dubium esse utrum Eusebius intelligat mulierem illam, in adulterio deprehensam, de qua loquitur Joannes Evangelista initio capitis octavi: græcum enim Eusebii non habet, *de muliere adultera*, sed, *de muliere multis peccatis diffamata*.

Quod si supponatur Eusebius intelligere mulierem illam de qua Joannes loquitur initio capitis octavi, cum non in suo codice, sed in solo evangelio secundum Hebræos hanc historiam legeret, eam ab illo inter scripturas canonicas non fuisse computatam, ingenue confitendum est: nec diffitemur historiam hanc in aliquibus exemplaribus defuisse: quod enim defuerit patet ex S. Augustino lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 7. ubi de aliquibus, qui eam è codicibus suis eralerant, sic conqueritur: *Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modica, vel potius inimici veræ fidei, credo metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adultera indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis*. Sed eam in suis codicibus habuerunt præter S. Augustinum, S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, &c. qui eam ut scripturam canonicam agnoscunt locis apud Bellarminum indicatis lib. 1. de verbo Dei cap. 16.

Porro quod saltem post Synodi Tridentinæ decretum canonica sint caput ultimum Marci, historia de sudore sanguineo Christi, & consolatione evangelica, historia mulieris adulteræ, cum versiculo 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt* cap. 5. epist. 1. Joannis, quem versiculum non esse canonicum contendit Erasmus, patet ex eo quod hæc omnia habentur in veteri vulgata editione. 2. Ex eo quod hæc omnia in Ecclesia leguntur, caput quidem ultimum Marci in festo die resurrectionis & ascensionis; historia de sudore, &c. feria quarta majoris hebdomadæ; historia mulieris adulteræ sabbato ante dominicam quartam quadragesimæ; & versiculus 7. cap. 5. epist. Joannis, die dominica in albis. Quod hic versiculus in aliquibus codicibus olim defuerit, & aliqua de ejus autoritate dubitatio extiterit, conjici potest ex eo quod Patres contra Arianos disputantes, eum non adhibuerint, cum tamen ad asserendam verbi divinitatem esset aptissimus.

Obj. 1. contra epistolam ad Hebræos. Huic epistolæ nomen suum non addidit Apostolus; cum tamen omnibus, quæ semper ut illius receptæ fuerunt, addiderit. Item hujus epistolæ stylus diversus est à stylo aliarum omnium, quæ certò sunt Pauli. R. ad 1. cum Hieronymo in catal. script. eccl. in Paulo, *Quia Paulus scribebat ad hebræos, propter invidiam sui apud eos, nominis titulum in principio salutationis amputavit*. Itaque quia sciebat nomen suum ingratum esse Hebræis, ad quos scribebat, prudenter illud contra morem suum suppressit, & salutationis formulam, qua uti solebat in principio suarum epistolarum, ne Hebræos offenderet, prætermisit.

R. ad 2. 1. cum Origene apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. c. 18. hujus epistolæ stylum ab aliarum epistolarum stylo diversum esse, quia sententiæ sunt Pauli, stylus verò alterius, putà Lucæ, qui evangelium & actus apostolorum scripsit, vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, qui Pauli sententiæ græco sermone reddidit, ac proprio stylo ordinavit & ornavit. Si verò, inquit Origenes, requiras à me, per quem sit ejus sermo compositus, pro certo quidem Deus viderit. Opinio tamen, quæ ad nos usque pervenit, hujusmodi est: *A quibusdam dicebatur, quod Clemens Apostolorum Discipulus, & Episcopus urbis Roma, græco eam sermone, non tamen sensibus expoliverit: alii, quod Lucas, qui Evangelium scripserit, & Actus Apostolorum*.

R. 2. cum Hieronymo loco laudato, & quidem, ut nobis videatur, melius, hanc styli dissonantiam ortam

ortam esse ex eo quod Paulus, græcæ linguæ satis imperitus, ad alios græcè adeoque ineleganter, ad Hebræos verò hebræo sermone, quem apprime callebat, adeoque eleganter scripserit, & epistolam sic eleganter à Paulo ad Hebræos scriptam, alius in græcum sermonem elegantius converterit. *Scripturæ*, inquit Hieronymus, *ut hebræus hebræis hebræicè, id est, suo eloquio disertissime, ut ea, quæ eloquenter scripta fuerant in hebræo, eloquentius vertentur in græcum, & hanc causam esse, quod à cæteris Pauli discrepare videatur ad Hebræos scripta epistola.*

Obj. 2. Contra epistolam Jacobi. Duo fuerunt apostoli nomine Jacobi, quorum unus fuit filius Alphæi, primus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus, & minor cognominatus: alter verò fuit filius Zebedæi, & frater Joannis Apostoli, quique major cognominatus est. Atqui dici non potest cujus sit hæc epistola. R. neg. & dico cum Hieronymo in catal. script. eccl. in Jacobo, esse primi Jacobi, qui quia Christi consanguineus erat, à Paulo cap. i. epist. ad Gal. vocatur frater Domini. Ex occasione data,

Quæres, utrum certum sit libros sacros esse eorum authorum, quibus vulgò attribuntur?

R. 1. Certum est certitudine fidei, libros omnes sacros conscriptos fuisse ab authoribus canonicis, quicumque tandem illi sint. 2. Quod re ipsa sint eorum authorum, quibus vulgò attribuntur, certum est certitudine morali, tanta saltem, quanta certum est v. g. orationes Ciceronis re vera Ciceronis esse, & Aeneidem Virgilii esse re vera Virgilii. Unde quod libri sacri sint eorum authorum, quibus vulgò attribuntur, negari non potest sine maxima temeritate & imprudentia.

ARTICULUS VII.

Utrum libri omnes tam deuterocanonici, quam protocanonici, canone nostro contenti, sint certo canonici, seu divini.

RESPONSIO I.

Libri tam veteris quam novi testamenti, qui canone nostro continentur, & proto-canonici vocantur, sunt certò divini certitudine magna morali.

Prob. Certum est certitudine magna morali, religionem christianam esse veram religionem. Hæc propositio suo loco accuratè demonstrata est, ubi ostensum est religionis christianæ veritatem simpliciter evidentem esse evidentiā magna morali ex motivis credibilitatis saltem collectivè sumptis. Ergo, quod idem est, certum est certitudine magna morali, omnia religionis christianæ dogmata esse vera dogmata. Atqui quod libri tam veteris quam novi testamenti, qui canone nostro continentur, & proto-canonici vocantur, sint divini, est dogma religionis christianæ, & quidem unum è præcipuis & fundamentalibus. Ergo quod hi libri sint re vera divini, certum est certitudine magna morali, & quæ certitudini physicae æquivaleret; quia evidentiæ, quæ facit unam certitudinem, non magis potest subesse falsum, quam evidentiæ, quæ facit certitudinem alteram.

Confirm. Quia libri illi sunt certò divini certitudine magna morali, quos à tempore Apostolorum hæcenus universa Ecclesia absque ulla controversia ut divino suscepit. Atqui à tempore Apostolorum hæcenus universa Ecclesia ut divinos suscepit libros, de quibus agitur, Ergo, &c. Minor patet: nam idcirco hi libri proto-canonici vocantur. *Prob. maj.* Nam unanimitas & constans fidelium omnium ætatum in aliquibus libris ut divinis suscipiendis conjunctio, est evidenter evidentiā magna morali aliquid verè divinum, & supernaturalis, quam falso partocinari prorsus impossibile est, providentiæ affectus, adeoque est motivum ad certitudinem magnam moralem de librorum illorum divinitate faciendam sufficiens.

Dices. Est quod unanimitas ille & constans fide-

lium omnium ætatum in libris proto-canonici suscipiendis ut divinis consensus, supposito quod existat, sit evidenter evidentiā magna morali opus supernaturalis providentiæ adeoque motivum prorsus infallibile: at non sufficit ut librorum proto-canonici divinitas sit evidens evidentiā magna morali, & sic habeat certitudinem magnam moralem; sed præterea ad hoc requiritur evidentiā magna morali de talis consensus existentia. Atqui hanc evidentiā non habemus. R. neg. subf. Nam argumenta consensus illius existentiam probantia talia sunt, saltem conjunctim sumpta, qualibus falsum nunquam subest, ut illa debite expendenti facile patebit.

RESPONSIO II.

Libri tam veteris quam novi testamenti, qui continentur canone nostro, & vocantur deuterocanonici, sunt certò divini certitudine magna morali.

Prob. 1. Nam quod hi libri sint divini, unum est è præcipuis & fundamentalibus dogmatibus Ecclesiæ Romanæ, ut manifestum est ex Tridentina Synodo, sess. 4. in decreto de canonicis scripturis in fine. Atqui evidens est evidentiā magna morali Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam: evidenter enim evidentiā magna morali conveniunt ei notæ omnes veræ Christi Ecclesiæ, ut suo loco ostenditur, independentè à scripturis deuterocanonici. Ergo quod hi libri sint divini, evidenter est evidentiā magna morali, unum è præcipuis & fundamentalibus dogmatibus veræ Christi Ecclesiæ, cujus aliqua dogmata, præsertim ex iis quæ præcipua & fundamentalia sunt, esse falsa, evidenter repugnat scripturis proto-canonici, & sapientiæ Christi, qui hanc Ecclesiam fundavit, & per Apostolos suos instituit. Ergo evidens est evidentiā magna morali, adeoque certum certitudine magna morali, quod hi libri sint re ipsa divini.

Prob. 2. Hos libros esse divinos definitum est ab Ecclesia Romana in Tridentina synodo, ut patet ex sess. 4. in decreto de canonicis scripturis. Atqui certum est certitudine magna morali Ecclesiam Romanam in hac sua definitione nec errasse, nec errare potuisse: cum certum sit certitudine magna morali Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, cui summam seu absolutam in decidendis fidei controversiis infallibilitatem attribunt scripturæ proto-canonice. Ergo hos libros esse re ipsa divinos, certum est certitudine magna morali.

COROLLARIUM I.

Libros omnes tam veteris quam novi testamenti, canone nostro contentos, divinos esse, non nisi stultissime & imprudentissime negari potest.

Prob. Quod est certum certitudine tali, quali falsum nunquam subest, non nisi stultissime & imprudentissime negari potest, ut patet ex terminis. Atqui quod hi libri omnes sint divini certum est certitudine tali, quali falsum subesse non potest: cum hoc sit certum certitudine magna morali, & æquivalente certitudini physicae, quia simpliciter evidens est evidentiā magna morali, & æquivalente evidentiæ physicae. Ergo, &c.

COROLLARIUM II.

Quod libri omnes tam veteris, quam novi testamenti, contenti nostro canone, sint divini, evidens est evidentiā etiam absoluta & metaphysica, adeoque certum certitudine etiam absoluta & metaphysica.

Prob. Quod liber non divinus ita tamen appareat divinus, ut talis esse negari non possit, nisi stultè & imprudenter, ab hominibus, quantumcumque in investiganda veritate diligentiam adhibentibus, evidenter repugnat providentiæ divinæ circa homines: evidenter enim repugnat, ut sinat homines in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, inevitabiliter errare; ita ut quantumcumque diligentiam adhibeant, non possint, nisi stultè & imprudenter, falso dissentire, & verum amplecti. Ergo ex hypothese quod liber ali-

quis

quis ita appareat divinus, ut talis esse negari non possit, nisi stultè & imprudenter, ab hominibus, quantumcumque in investiganda veritate diligentiam adhibentibus, liber ille non potest non esse divinus. Hæc conclusio, quæ ex antecedente evidenter sequitur, eandem habet evidentiam, quam habet antecedens. Antecedens autem habet evidentiam etiam absolutam & metaphysicam. Atqui libri omnes canone nostro contenti, sic apparent divini, ut tales esse negari non possit, nisi stultè, &c. ut probatum est. Ergo sunt re ipsa divini; & quod sint divini evidens est evidentia etiam absoluta & metaphysica, adeoque certum certitudine etiam absoluta & metaphysica.

COROLLARIUM III.

Quod libri omnes, canone nostro contenti, sint divini, certum est certitudine etiam divina, adeoque appreciativè summa.

Prob. Illud est certum certitudine divina & appreciativè summa, quod potest & debet credi fide divina. Atqui quod libri omnes, canone nostro contenti, sint divini, potest & debet credi fide divina. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam libros aliquos esse divinos potest & debet credi fide divina, hoc ipso quod eorum divinitas non nisi imprudenter negari potest, ac proinde hoc ipso quod eorum divinitas habet evidentiam credibilitatis, & à fortiori cum habet simplicem evidentiam magnam moralem. Atqui librorum omnium canone nostro contentorum divinitas hanc habet evidentiam, ut probatum est. Ergo, &c.

Dices. Deus non revelavit libros canone nostro contentos, divinos esse. Ergo divinos esse credi non potest fide divina. *R. 1.* Deum per Apostolos viva voce revelasse primis fidelibus divinos esse libros omnes veteris testamenti, qui canone nostro continentur: quod enim apostoli primos fideles docuerint, quinam ex libris in veteri lege scriptis, ut divini suscipiendi essent, quinam verò non, in dubium revocari non potest. Hæc autem apostolica de libris divinis, in lege veteri scriptis, traditio ad nos usque abique ulla inter fideles controversia continuata est quoad libros illos, qui proto-canonicè dicuntur: quoad alios verò qui idcirco vocantur deuterocanonici, & longè pauciores sunt, non est ad nos usque continuata sine aliqua inter fideles controversia, quæ tandem infallibili Ecclesiæ judicio decisa est.

2. Circa libros sacros in lege nova exaratos, aliqua distinctio adhibenda est. Nam quantum ad Evangelium Matthæi, Evangelium & Apocalypsim Joannis, & epistolas canonicas, non opus fuit distincta revelatione, qua expressè revelaretur hos libros ex inspiratione divina conscriptos fuisse: hoc enim constituit primis fidelibus, hoc ipso quod eis constituit fuisse conscriptos ab apostolis; atque ita hoc ipso quod primis fidelibus constituit hos libros fuisse conscriptos ab apostolis, potuerunt & debuerunt hi libri à primis fidelibus suscipi ut verbum Dei scriptum, & ut tale per se immediatè credi fide divina. Idem planè dicendum de epistolis Pauli: nam sine revelatione nova, qua expressè revelaretur eas à Paulo ex instinctu Spiritus sancti dictatas fuisse, aliunde primis fidelibus sufficienter constare potuit, & constituit Paulum epistolas suas, Deo inspirante, dictasse, & sic epistolas Pauli esse verbum Dei scriptum, quod deinde ut tale susceperunt, & per se immediatè fide divina crediderunt.

Aliud est de Evangelio Marci, de Evangelio Lucæ, & de Actis Apostolorum ab eodem Luca conscriptis: nam Marcus & Lucas fuerunt tantum discipuli apostolorum, non apostoli, atque ita, ut eos esse de scriptorum sacrorum numero, & ad scribendum à Spiritu sancto inspiratos, sufficienter constaret primis fidelibus, autoritate apostolorum opus fuit. Itaque quod Marcus Evangelium suum ex inspiratione divina scripserit, & sic Marci Evangelium esse verbum Dei scriptum, Deus primis fidelibus expressè revelavit per Petrum apostolum, ut probatur ex Hieronymo in catal. script. eccl. ubi hæc scribit: *Marcus discipulus*

& interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Roma à fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendum sua autoritate dedit; quod factum probat Hieronymus ex Clemente Alexandrino, & ex Papia Hieropolitano Episcopo, qui fuit auditor Joannis Apostoli.

Similiter quod Lucas Evangelium & Apostolorum Acta ex Spiritu sancti instinctu conscripserit, Deus primis fidelibus expressè revelavit, ut nobis videtur, per Paulum Apostolum, cujus discipulus fuit Lucas, & iterum ejus comes; & cum Paulus ait 2. ad Timoth. cap. 2. *Memor esto Dominum Jesum-Christum resurrexisse à mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum*, non improbabiler creditur intelligere Evangelium à Luca conscriptum, quod suum vocat, quia recognitum probavit, & ut verbum divinum Ecclesiis legendum sua autoritate dedit. Præterea, cum Lucas non solum à Paulo, sed etiam ab aliis Apostolis, qui Dominum viderant, ea quæ in Evangelio suo narrat, sese accepisse testatur cap. 1. nihil verat quominus dicatur, si quidem se, Deo inspirante, scripsisse ignorabat, opus suum illis etiam aliis Apostolis recognoscendum tradidisse, à quibus deinde, ut scriptura divina, opus illud fidelibus propositum est.

Porro quod libris in veteri lege, idem libris in lege nova scriptis contigit: nam ex his libris aliquos divinitus inspiratos, seu, quod idem est, à canonicis authoribus conscriptos fuisse, aliquando in aliquibus Ecclesiis particularibus dubitatum est; quia successu temporis, propter oblivionem, vel pastorum negligentiam, aut aliam aliquam ob causam circa illorum auctores, in particulares aliquas Ecclesias irrepsit ignorantia & dubitatio; sic tamen ut semper pro se plura & majora habuerint testimonia, quam contra, & nunc nulla de illis controversia inter fideles superesse possit, postquam Ecclesia illos divinitus inspiratos, & à canonicis authoribus conscriptos fuisse, infallibili suo judicio declaravit.

3. Igitur sicut primi fideles libros canone nostro contentos, ut sacros fide divina credere poterant, alios quidem propter traditionem apostolicam, qua eorum divinitas expressè fuerat revelata, alios verò, quorum divinitas non fuerat expressè revelata per novam revelationem, per se immediatè, quatenus erant virtualis & implicita sui ipsorum ut divinorum revelatio, sub motivorum evidentia morali eorum divinitatem ostendente: ita nunc fideles libros illos omnes canone nostro contentos, fide divina credere possunt ut sacros, eos quidem, quorum Deus divinitatem expressè revelavit per Apostolos, propter hanc traditionem apostolicam, quia de ea etiam nunc sufficientissimè constat; eos verò, quorum divinitas non per distinctam & novam revelationem, sed aliunde innotuit, per se immediatè, quia etiam nunc sufficientissima divinitatis eorum extant argumenta.

At inquit. Liber divinus quæ divinus, non est aliquid per se evidens, sed obscurum. Ergo non potest per se immediatè credi ut divinus, sine motivo distincto ejus divinitatem suadente, & intrinseco actui quo creditur esse divinus.

R. neg. conseq. Nam librum esse divinum, & librum esse verbum Dei scriptum, sunt unum & idem, adeoque librum credi esse divinum, nihil aliud est, quàm credi librum esse verbum Dei scriptum; atque ita librum per se immediatè credi esse divinum, nihil aliud est, quàm librum per se immediatè credi esse verbum Dei scriptum, quod nihil aliud est, quàm verbum Dei scriptum per se immediatè credi. At verbum Dei scriptum, quamvis non sit aliquid per se evidens, sed obscurum, potest per se immediatè credi actu fidei divinæ, modò, ut supponitur, per alium actum prævium intellectui sufficienter propter motiva credibilitatis constet de illius existentia.

Confirm. Quando fidelis librum aliquem credit esse divinum propter traditionem apostolicam, qua olim expressè revelata fuit libri illius divinitas, traditio-

ditionem hanc per se immediatè credit eodem illo actu, quo credit propter illam librum esse divinum, seu ex inspiratione divina conscriptum. Atqui traditio hæc est verbum Dei non scriptum. Ergo verbum Dei non scriptum, quamvis per se obscurum, potest per se immediatè credi fide divina, modo sufficienter de illius existentia constet per motiva credibilitatis. Ergo similiter verbum Dei scriptum, licet per se obscurum, potest per se immediatè credi fide divina, modo per motiva aliqua credibilitatis sufficienter constet de illius existentia.

Ratio paritatis est, quia sicut verbum Dei non scriptum, per se quidem obscurum, sed relucens sub evidentia motivorum credibilitatis, se ipsum dicit virtualiter implicite, & sic dicendo se ipsum, meretur assensum super omnia firmum: tantum enim meretur assensum, se ipsum virtualiter & implicite dicendo, quantum meretur dicendo formaliter & explicitè illud, cujus est expressio: ita verbum Dei scriptum, quamvis per se obscurum, cum sub motivorum credibilitatis evidentia ut divinum relucet, se ipsum virtualiter & implicite dicit, & sic se ipsum dicendo, meretur assensum appetitativè summum; sicut meretur assensum appetitativè summum, formaliter & explicitè dicendo id quod exprimit.

Itaque verbum Dei scriptum, ut tale per motiva credibilitatis sufficienter propositum, potest per se immediatè credi fide divina. Ergo, quod idem est, liber divinus, per motiva credibilitatis propositus sufficienter ut divinus, potest ut divinus per se immediatè credi fide divina. Atqui libri omnes canonice nostri contenti, sub evidentia motivorum credibilitatis sufficientissimè apparent ut divini. Ergo possunt omnes ut divini per se immediatè credi fide divina. Ergo ut libros illos esse divinos fide divina credamus, non opus est revelatione distincta, quæ eorum divinitas expressè revelata fuerit, sed possumus omnes per se immediatè credere ut divinos, quanquam etiam possumus ex illis aliquos ut divinos mediatè credere propter distinctam ab illis revelationem, eos scilicet, quorum divinitatem Deus expressè revelavit per Apostolos.

ARTICULUS VII.

Proponuntur aliquæ difficultates contra secundam responsum, & resolvuntur.

Obj. 1. De libris, quos deuterocanonico nominamus, adhuc incertum est, utrum sint divini, an non. *R. neg. Prob.* De illis olim inter fideles, ut nos ipsi fatemur, exitit aliqua dubitatio. Sed hæc dubitatio nondum sublata est. Ergo, &c. *R. neg. min.* Nam hæc dubitatio sublata est per infallibile iudicium Ecclesiæ, quæ per summos Pontifices & Concilium generale Tridentinum libros illos esse divinos expressè definivit. Præterea, tota Ecclesia Romana, adeoque tota vera Ecclesia, libros illos inter divinas scripturas computat. Unde libri illi sunt divini, vel Ecclesia vera tota errat in fide, quod evidenter adversatur promissionibus ei factis, & clarè expressis in scripturis proto-canoniceis. Quare tam certum est libros illos esse divinos, quam certum est Ecclesiam veram totam non posse errare in fide.

Dices. Controversiam illam de scripturis deuterocanoniceis inter fideles exortam, non potuit Ecclesia dirimere. Ergo, &c. *R. neg. ant.* Nam ad Ecclesiam pertinet libros divinos à non divinis discernere. Item pertinet ad Ecclesiam dirimere controversias fidei. Hanc autem olim de librorum aliquorum divinitate exortam inter fideles controversiam, ad fidem attingere manifestum est.

Probabit tamen ant. Non potuit hanc controversiam Ecclesia dirimere, nisi ferendo iudicium de scripturis, Atqui Ecclesia non potest ferre iudicium de scripturis divinis: nullus enim de alio ferre iudicium

potest, nisi sit eo superior. Ecclesia autem non est superior scripturis divinis. Ergo, &c.

Ad solutionem nota. Duplex est iudicium, unum discretionis, quo unum ab altero discernitur; & alterum autoritatis, quo aliquis damnatur, vel absoluitur, aut aliquid alicui inungitur cum obligatione submitendi se sententiæ iudicis. Ad secundum quidem iudicium requiritur superioritas; ad primum verò sufficiunt jus & virtus discernendi. Hoc præsupposito,

R. Ad dirimendam illam controversiam olim inter fideles de librorum aliquorum divinitate exortam, sufficere iudicium discretionis circa divinas scripturas. Hoc autem iudicium ferre potest Ecclesia. Nam 1. jus habet discernendi scripturas veras à falsis & adulterinis. 2. Habet virtutem ad discernendum necessariam, eamque infallibilem, Spiritu sancto ei ad discernendum specialiter assistente, ne erret.

Porro cum exortam circa libri alicujus divinitatem controversiam dirimit, declarando librum illum esse divinum, non solum fert iudicium discretionis circa librum illum, sed etiam fert, aut saltem ferre potest iudicium autoritatis, sed circa fideles, illos expressè obligando ad suscipiendum librum ut divinum, & non suscipientes damnando. Hoc utrumque iudicium tulit Ecclesia in Tridentina synodo sess. 4. ubi postquam divinorum librorum canonem texuit, hæc subiicit verba: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit ... anathema sit.* Quod autem tale iudicium autoritatis circa fideles ferre possit Ecclesia, planum est; cum sit fidelibus superior, & jus habeat illos circa ea quæ ad fidem attingunt, docendi.

Dices. Si Ecclesia potest exercere iudicium discretionis circa scripturam Sacram, Ecclesia est regula scripturæ Sacrae, non scriptura Sacra Ecclesiæ. Absurdum consequens. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam ex maiore sequitur tantum, quod Ecclesia sit nobis regula ad veram scripturam certò cognoscendam, sicut est nobis regula ad certò cognoscendum germanum veræ scripturæ sensum. Hoc autem non impedit, quominus scriptura Sacra cum vero ac germano sensu suo per infallibilem Spiritus sancti assistentiam certò cognita, sit Ecclesiæ regula, quæ Ecclesia dirigitur, & quam sequi debet in dirimendis fidei controversiis.

Instabis. Si Ecclesia potest exercere iudicium discretionis circa scripturam divinam, potest etiam sine illa controversias fidei dirimere. Ergo si potest exercere, &c. scriptura divina non est ejus regula. *R. neg. seq. ant.* Nam Ecclesia non potest infallibiliter dirimere fidei controversias, nisi doceatur à Spiritu sancto, nec docetur à Spiritu sancto per novas revelationes, sed per scripturas divinas, & traditiones non scriptas, adeoque non potest infallibiliter dirimere controversias fidei sine scripturis divinis, & non scriptis traditionibus. Sacra igitur scriptura, cum non scriptis traditionibus, est Ecclesiæ regula, quæ in dirimendis fidei controversiis uti debet Ecclesia.

Ex his porro non sequitur ab Ecclesia exerceri non posse iudicium discretionis circa scripturas divinas, & traditiones non scriptas; imò contrarium evidenter sequitur: nam si scripturæ divinæ cum traditionibus non scriptis, sunt regula, sine qua Ecclesia non potest decidere controversias fidei, & qua proinde in decidendis fidei controversiis Ecclesiam uti necesse est, debet scripturas & traditiones veras à falsis & supposititiis, earumque germanum sensum posse discernere, & infallibiliter discernere, adeoque circa scripturas & traditiones, earumque sensum, iudicium discretionis ferre posse, atque in eo ferendo ita à Spiritu sancto dirigi & adjuvari, ut nullatenus possit errare, statuendo quantum sint veræ scripturæ & veræ traditiones, & quis sit germanus illarum sensus.

Instabis. Ex hac doctrina sequitur saltem, quod Eccle-

Ecclesia statuant ipsa sibi regulam, qua in decidendis fidei controversiis utitur, quod certe scripturarum & traditionum divinarum dignitati non parum derogat. R. neg. Falsum igitur est in nostra doctrina, quod Ecclesia propria sibi autoritate constituat regulam, qua utitur in decidendis fidei controversiis, sed eam sibi à Spiritu sancto constitutam habet, & ab eodem Spiritu sancto dirigitur & adjuvatur ad eam infallibiliter discernendam: hoc enim ad infallibilem controversiarum fidei decisionem requiritur; cum earentis Ecclesia in decidendis fidei controversiis, sit infallibilis, quarens in decidendis fidei controversiis nec scripturas & traditiones non divinas pro divinis, nec scripturarum & traditionum divinarum sensum saltem pro vero assumere potest.

Obj. 2. Hic manifestè admittimus circulum vitiosum; nam dicimus nos certò cognoscere scripturam divinam per infallibile iudicium Ecclesiae, quod iudicium Ecclesiae esse infallibile non cognoscimus, nisi per scripturam divinam. R. neg. obj. Circulus enim vitiosus in eo consistit, quod ad probandum aliquid assumatur medium, quod non est aliunde cognitum, quàm per illud, ad quod probandum assumitur. Hoc autem non facimus; cum enim scripturam aliquam esse divinam probamus per infallibile iudicium Ecclesiae; hoc Ecclesiae iudicium esse infallibile non probamus per eandem illam scripturam, sed vel probamus independentem ab omni scriptura divina, vel probamus per aliam scripturam, quam esse divinam aliunde sufficientissimè notum est.

Rem exponimus in exemplo. Quæris à me, unde certus sum v. g. quod epistola Jacobi sit scriptura divina? Respondeo me certum esse ex iudicio Ecclesiae, quæ, putà in Synodo Tridentina, ut omni-bus notum est, hanc epistolam inter divinas scripturas computandam esse definivit, & hoc definiendo errare non potuit. Quæris à me unde habeam quod Ecclesia hoc definiendo errare non potuerit? Respondeo me habere ex eo, quod Ecclesia sit infallibilis in qualibet materia ad fidem pertinente. Quæris à me, unde cognoscam quod Ecclesia hanc infallibilitatem habeat? Respondeo me cognoscere ex scriptura aliqua proto-canonica, putà ex ista Matth. cap. 16. *Et porte inferi non prevalebunt adversus eam.* Quæris à me, unde notum mihi sit hanc scripturam, quam proto-canonicam nomen, esse scripturam verè divinam? Respondeo mihi sufficientissimè notum esse ex unanimi & perpetua fidelium omnium consensione in hac scriptura inter divinas computanda, quæ consensio mihi manifesta est, partim ex canonicis librorum sacrorum diverso tempore in Ecclesia conditis diversis in regionibus, partim ex Patrum omnium tam Græcorum quàm Latinorum scriptis, in quibus Evangelium Matthæi ut scriptura divina in testimonium adducitur, imò & ipsa illa verba; quæ modò à nobis laudata sunt, persæpe citata reperuntur ut divina; partim denique ex eo quod à nullis, nisi à quibusdam hæreticis, inveniatur hoc evangelium esse repudiaturum.

Porò quærenti à me, unde cognoscam quod Ecclesia in qualibet materia ad fidem pertinente sit infallibilis, potui etiam respondere, me hoc cognoscere ex eo quod ipsa se talem profiteatur, & talem esse, qualem se proficitur, evidens sit etiam simpliciter evidentia magna morali, per motiva credibilitatis, ex quibus evidenter apparet evidentia magna morali esse opus divinum. Sed ex occasione data,

Instabis adhuc. Secundum nos, multa cognoscuntur de Ecclesia per scripturam divinam, cognitam per ipsam Ecclesiam. Atqui in hoc est circulus vitiosus. R. re ipsa secundum nos, multa distinctè & explicitè cognosci de Ecclesia per scripturam divinam; ut talem prius confusè cognitam per ipsam Ecclesiam, evidenter apparentem ut opus divinum per motiva credibilitatis, quibus veluti quibusdam characteribus in oculis omnium divinam suam institutio-

nem exscribit. Quod sit sine vitioso circulo; sicut sine vitioso circulo multa distinctè de legato, & potestate illi à rege concessa cognoscimus per diploma regium, nobis ab ipso legato oblatum, & tale ab eo sufficienter probatum per ea signa, quibus se legatum regium sufficienter probavit.

Motiva credibilitatis Ecclesiae sunt nobis ratio cognoscendi scripturam ut divinam, quam nobis ut divinam proponit Ecclesia. Scriptura verò divina, ut evidenter evidentia magna morali per illa motiva credibilitatis cognita, est nobis distinctè cognoscendi de Ecclesia ea omnia, quæ de illa distinctè cognoscimus legendo scripturam. Ecclesia libros divinos nobis exhibet, protestans illos esse divinos, & testimonium suum confirmans per omnia illa argumenta, quibus saltem conjunctim sumptis evidenter evidentia magna morali se divinitus institutam, adeoque veram & divinam Ecclesiam esse probat. Libros illos nobis evidenter evidentia magna morali apparentes ut divinos, tales esse fide divina credimus. Credentes aperimus illos, & in illis multa de dotibus Ecclesiae distinctè scripta legimus. Denique multa illa de dotibus Ecclesiae distinctè scripta & lecta, distinctè credimus ut à Deo revelata in libris illis, quos esse verbum Dei scriptum credimus vel per se immediatè, vel mediatè propter aliud verbum Dei non scriptum, quo Deus per Apostolos libros illos ex inspiratione divina conscriptos fuisse expresse revelavit. Ubi circulus vitiosus?

Dices. Saltem ex hac doctrina sequitur, scripturas divinas ut tales nobis certò non innotescere sine testimonio Ecclesiae, & motivis credibilitatis, quibus se veram & divinam esse ostendit; argue ita scripturas divinas ut tales certitudinem suam sumere ab Ecclesia. Atqui hoc dici non potest: cum enim Ecclesia fundetur supra doctrinam Prophetarum & Apostolorum, & hæc doctrina in divinis scripturis contineatur, debent scripturæ divinæ suam certitudinem habere independentem ab Ecclesia, & prius quàm sit Ecclesia.

R. Re ipsa Ecclesiam fundatam esse supra doctrinam Prophetarum & Apostolorum, quæ partim scriptis divinis, partim traditionibus non scriptis continetur: nam per hujus doctrinæ prædicationem instituta est, & conservatur Ecclesia: unde sequitur tantum, doctrinam illam prius veram & infallibiliter veram esse, quàm sit Ecclesia, cujus veritas sine veritate illius doctrinæ subsistere non potest. Suam igitur veritatem sumit Ecclesia à veritate illius doctrinæ. At vicissim doctrina illa certitudinem sumit ab Ecclesia, suis instructa motivis credibilitatis, quia de illius divinitate certò nobis non constat sine Ecclesiae testimonio, ut verò nobis evidenter evidentia vel simplici, vel saltem credibilitatis apparente per argumenta illa, quibus divina Ecclesiae institutio, adeoque Ecclesiae veritas & divinitas ostenditur.

Obj. 3. Libri Tobie, Judith, Esther, Machabæorum, Sapientie & Ecclesiastici, nunquam fuerunt in Hebræorum canone. R. inde nihil sequi: nam regula primorum fidelium ad discernendos veteris Testamenti libros divinos à non divinis, non fuit Hebræorum de divinis scripturis sensus, sed traditio apostolica, quæ proinde nobis per testimonium vel iudicium Ecclesiae proposita, nostra quoque debet esse regula; quam regulam in scripturis sive repudiandis, sive recipiendis sequendo, errare non possumus.

Obj. 4. S. Hieronymum in præfat. in libros Salomonis, ubi sic loquitur: *Sicut ergo Judith, & Tobia, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina (Sapientiam & Ecclesiasticum) legat ad edificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* R. Sanctum Hieronymum hæc scripsisse, cum adhuc aliqua de horum librorum inspiratione inter fideles existeret controversia, quæ tandem decisa est per infallibile iudicium Ecclesiae. Unde hi libri nunc tam valent ad confirmandam ecclesiasticorum dogmatum auctorita-

tem, quam alii libri de quibus nulla unquam fuit dubitatio in Ecclesia.

ARTICULUS IX.

Utrum libri sacri fuerint Deo inspirante conscripti.

Nota. In libris sacris tria distinguenda sunt, nempe sensus, seu res quæ verbis exprimentur; verba ipsa, & stilus seu phrasis, hoc est, verborum constructio. Queritur ergo utrum libri sacri fuerint inspirati à Deo quoad hæc omnia, ita ut non solum sensus, sed etiam verba & verborum constructio fuerint à Deo inspirata, an verò Deus solum sensum inspiraverit authoribus sacris, verborum verò delectum & compositionem eorum industria permiserit.

RESPONSIO.

Deus res saltem & sententias, in libris sacris expressas, authoribus sacris inspiravit.

Prob. 1. ex Scriptura: nam dicitur Luc. c. 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum, Prophetarum ejus.* Et Act. c. 1. *Oportet impleri scripturam, quam predixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Et ibidem c. 3. *Deus autem que pronuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic implevit.* Et Hebr. cap. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis.* Ex quibus locis, & aliis similibus, jam habemus res & sententias aliquas ex his quæ in libris sacris expressæ sunt, inspiratas à Deo fuisse.

Præterea, quod omnes à Deo fuerint inspiratæ, ostendi potest ex 2. Petri cap. 1. ubi dicitur: *Omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quorum verborum hic sensus est: Nulla scriptura sacra proprio Marte facta est: quia nulla scriptura sacra humanum inventum est: sed sancti Dei homines, qui scripturam sacram condiderunt, ex inspiratione & afflatu Spiritus Sancti locuti sunt & scripserunt. Sed

Nota. Petrus hanc secundam epistolam, ut patet ex c. 3. scribit ad eosdem, ad quos primam scripserat; primam autem, ut patet ex c. 1. scripserat ad Judeos conversos ad fidem Christi. At Judæi, ut constat ex Josepho lib. 1. contra Appionem num. 29. nomine prophetæ hominem à Deo afflatum, sive futura prænunderet, sive futura præterita aut etiam præsentia narraret, intelligebant, & consequenter nomine prophetiæ intelligebant omnem scripturam, adeoque & eam in qua futura prædicebantur, & eam in qua præterita aut etiam præsentia narrabantur, ex afflatu Dei scriptam. Cum igitur Petrus ipse Judæus ad Judeos scriberet, prophetiæ nomen non restringebat ad significandam eam tantum scripturam sacram in qua futura prænunderentur, sed per omnem prophetiam scripturæ intelligebat omnem omnino scripturam sacram, hoc est, non solum eam, in qua prænunderentur futura, sed etiam eam omnem in qua narrantur præterita vel præsentia; adeoque scribebat omnem omnino scripturam sacram à sanctis Dei hominibus ex inspiratione divina fuisse conscriptam.

Veritatem hanc clarius adhuc exprimit Paulus Apostolus 2. ad Timoth. c. 3. ubi sic ait: *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, que te possunt infernere ad salutem per fidem, que est in Christo Jesu. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sis homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Igitur ex Apostolo, sacre litteræ, quas ab infantia sua legerat Timotheus, possunt instruire ad salutem. At Timotheus ab infantia sua legerat non solum sacras litteras, in quibus prædicationes, sed etiam & potissimum eas, in quibus historia, morum præcepta, pie exhortationes, & pia consilia continentur; harum enim lectio ætati illi

erat accommodatior. Ergo ex Apostolo, omnes omnino sacre litteræ possunt instruire ad salutem. Hujus autem veritatis rationem hanc reddit Apostolus, quia omnis scriptura divinitus inspirata (supple saltem quoad sensum & sententias) utilis est ad docendum, ad arguendum, &c. adeoque ad salutem instruire potest. Ergo ex Apostolo, omnes omnino litteræ, veteris scilicet testamenti, de illis enim loquitur Apostolus, ad salutem instruire possunt, quia divinitus inspiratæ fuerunt, quod etiam procul dubio verum est de novi testamenti scripturis: neque enim in novo testamento Apostoli & alii scriptores sacri minus à Spiritu sancto afflati fuerunt, quam prophetæ in testamento veteri: neque Apostoli, & alii authores sacri, minus adjuti fuerunt ad conscribendos novi testamenti libros, quam olim ad componendas testamenti veteris scripturas prophetæ adjuti fuerint. Unde scriptura nova non minorem habet auctoritatem, nec minori veneratione digna est, quam vetus scriptura.

Prob. 2. ex Traditione, cujus magno inter se consensu testes sunt Patres, ex quibus omnibus hic nobis sufficient S. Irenæus lib. 2. adversus hæreses cap. 47. ubi sic ait: *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. 3. ubi dicit: *Legimus omnem scripturam edificationis habilem, divinitus inspirari.* S. Athanasius epistola ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum: *Omnis quidem, inquit, apud nos, sive nova, sive vetus scriptura, numinis afflatu prodit, & idonea est ad erudiendum.* S. Basilii in proemio in Psalmos, quod his exorditur verbis: *Scriptura omnis divinitus inspirata & utilis, hac una ratione à Spiritu sancto conscripta astruitur, ut ex ea haud secus atque à communi quapiam curandarum animarum officina, medelam suo quique morbo salutarem & accommodatam queat seligere.* S. Chrysostomus homil. 21. in cap. 3. Genes. ubi de sacris scripturis sic loquitur: *Nihil hic scriptum est, quod non multas habeat sensuum divitias; quando quidem divino Spiritu afflati prophetæ locuti sunt, ideo ut à Spiritu scriptæ, ingentem in se continent thesaurum.* Et S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. *Per Spiritum sanctum, inquit, & lex, & prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, & Pastores, & Doctores verba fecerunt. Ex quo fit, ut tota divinitus inspirata scriptura procul dubio utilis sit.*

Obj. 1. Dici non potest in quo consistit inspiratio illa, qua Deus dicitur scriptoribus sacris inspirasse res & sententias in divinis scripturis expressas. Resp. neg. Itaque inspiratio illa consistebat in duplici actione divina, quarum una voluntas, & altera mens scriptoris sacri afficiebatur. Prima erat interna & specialis motio, qua scriptor sacer impellebatur ad scribendum. Secunda verò erat interna illustratio, qua Deus vel scriptori sacro manifestabat veritates ei antea ignotas; vel oblita, aut etiam non oblita in memoriam ei revocabat; vel illi ostendebat, quid ex multis, quæ actu memoriæ occurrebant naturaliter, scribendum, quid præmittendum esset, & memoriam ejus ita regebat, ut ne in levissimis quidem, quod humanas vires superat, factorum circumstantiis enarrandis, laberetur, aut etiam labi posset; vel denique exhortationes pias & pia consilia suggerebat. Ex his autem duplici actione divina fiebat, ut Deus res & sententias in sacris litteris expressas, per scriptores sacros veluti amanuenses, & moralia quædam organa, scriberet, ut per se manifestum est.

Dices. Gratis asseritur illustratio illa pro historicis sacris: nam scripserunt ea, quæ aut propriis oculis viderunt, aut à testibus fide dignis didicerunt, aut per certam traditionem acceperunt, adeoque ea quæ scripserunt, cum ordinario Dei concursu, & sine speciali illustratione scribere poterunt.

Resp. 1. Dato quod historici sacri ea tantum scripserint, quæ ipsi aut viderunt suis oculis, vel suis auribus audierunt, aut à testibus fide dignis didicerunt, aut per certam traditionem acceperunt; nego tamen

eos, quæ reipsa scripserunt, sine speciali illustratione scribere potuisse: sed illa indiguerunt, 1. ad eorum recordationem, quæ exciderant e memoria: quis enim hominum non aliqua, imò multa ex iis quæ vel ab aliis didicit, vel etiam ipse vidit, aut audivit, non obliviscitur? 2. Ad eorum delectum, quæ Deus volebat scripto mandati: non enim ab historicis sacris omnia quæ occurrerant illorum memoriæ, promiscuè & absque delectu scripto tradi, voluit Deus, sed juxta fines à se intentos voluit tantum certa quadam scribi, & cætera omnia prætermitti. 3. Ad memoriæ directionem, ut ne vel in minimis circumstantiis laberentur, quod non erat illis possibile humanitatis, ut satis docet experientia; quilibet enim scriptores, etiam diligentissimi, licet nulli ad assequendam veritatem labori pepererint, & ab omni partium studio, aliòve affectu pravo liberi fuerint, in variis à vero aberrasse circumstantiis deprehenduntur, non solum cum præteritorum temporum historias, sed etiam cum res suo tempore gestas scripserunt.

R. 2. Dato etiam quòd historici sacri ea quæ scripserunt, absolute potuerint scribere, absque speciali & indebito Spiritus Sancti adjutorio, adhuc illis divina inspiratio ad conciliandam eorum scriptis auctoritatem divinam necessaria fuit: nam si historici sacri, cum scriberent relictis fuerunt propriæ diligentia & probitati, quantacumque in investiganda veritate diligentiam adhibuisse supponantur quantacumque supponantur in eis fuisse probitas & veritatis amor, non potest eorum scripto nisi auctoritatem humanam habere. E contra verò si dicantur historici sacri scripsisse sub Deo, non solum ad scribendum impellente, sed etiam circa scribenda specialiter illustrante, tunc scripti eorum conciliatur auctoritas divina: hoc enim supposito, eorum narratio est verè ac propriè verbum Dei, quia hoc supposito narratur, ut moralia Dei organa, quibus Deus usus est ad loquendum hominibus, seu ad ea quæ habet in mente, hominibus manifestanda: quare hoc supposito, narratio eorum summam habet auctoritatem.

Dices. Historici sacri auctoritatem narrationi suæ accesserunt, non ab inspiratione divina, sed vel à labore & diligentia sua, atque à testibus oculatis fide dignis, ut Lucas, cum ait c. 1. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi, affectu omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere*: vel à sensuum suorum, aurium scilicet & oculorum experientia, ut Joannes, cum dicit c. 1. epist. 1. *Quod fuit ab initio, quod audimus, quod vidimus oculis nostris... testamur & annunciamus vobis vitam æternam*: Ergo gratis dicuntur ex inspiratione divina scripsisse.

R. Scriptores sacri duplici modo potuerunt à Deo inspirari. 1. Ita ut scribendo sibi consciis essent inspirationis divinæ. 2. Ita ut ignorarent se ex inspiratione divina scribere. Primo modo inspirati fuerunt à Deo propheta, qui prænunderunt: unde narrationi suæ auctoritatem solent accersere ab inspiratione divina, his verbis; aut aliis æquivalentibus: *Factus est sermo Domini ad me*. Secundo modo à Deo inspiratos fuisse aliquos saltem historicos, aut Lucam, & auctorem libri secundi Machabæorum, non dubitamus. Unde mirum non est, quòd Lucas Evangelio suo auctoritatem quærat à proprio labore ac diligentia, & à testibus oculatis fide dignissimis. Item mirum non est, quòd auctor libri secundi Machabæorum, in fine libri sui sic loquatur: *In his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, & ut historia compertit, hoc & ipse velim. Si autem minus dignè, concedendum est mihi*.

Quantum autem attinet ad Joannem Apostolum, quamvis se non sine Dei afflatu prædicare & scribere probè sciret, & præ oculis haberet illa Christi verba, quæ ipse refert Evangelii c. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; potuit convenienter & utiliter prædicationi scripti sui auctoritatem aliquam à sensuum suorum experientia conciliare. Dico aliquam: nam quòd etiam narrationi

Simmet Theol. Tom. II.

suæ auctoritatem conciliare voluerit ab inspiratione divina, satis apparet ex cap. ult. Evang. ubi sic ait. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium ejus*. Quibus verbis sufficienter significat, se in scribendo Evangelio errare non potuisse, quia videlicet non scripsit illud sine speciali Spiritus Sancti intrinsecus afflantis & illustrantis, assistentia.

Dices. Saltem gratis dicitur, quòd sacri scriptores omnes à Deo per internam specialem motionem ad scribendum impulsu fuerint. Nam 1. de Marco hæc scribit Hieronymus in catal. *Juxta quoad Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium*. Idem dicit Eusebius lib. 2. hist. Eccl. c. 15. post Clementem Alexandrinum lib. 2. dispositionum. 2. De Joan. hæc etiam habet Hieronymus in catal. *Novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asia episcopis, adversus Cerinthum, adversus hereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens; qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse*. Aliam etiam Joanni Evangelium suum scribendi occasionem fuisse, nempe quòd lectis Matthæi, Marci & Lucæ Evangelii, quæ probavit, & vera esse firmavit, in eis non pauca, relatu valde utilia, prætermissa esse animadvertens, scribit Eusebius, lib. 3. hist. eccl. c. 44. & post eum Hieronimus in Joan. 3. De Luca hæc scribit Eusebius loco proximè citato: *In initio Evangelii sui causam cur scriberet, indicavit: videlicet quoniam multi alii temerè præsumpserant enarrare, quæ sibi magis erant ad liquidum comperta: volens ergo nos abstrahere à cæterorum narrationibus, fidem facit per se conscriptæ veritati: certus quòd eam vel Paulo exponente, vel aliis Apostolis, qui ab initio ipsi viderant, ac sibi tradiderant, consecutus sit*. De cæteris porro scriptoribus sacris similem scribendi causam vel occasionem conjectari, quid vetat? Ergo, &c.

R. n. ant. Ad prob. R. causas illas seu occasiones, quibus Evangelistæ ad historiam Christi conscribendam inducti fuisse dicuntur, non excludere internum & specialem Spiritus sancti impulsu, sed Spiritum Sactum per causas illas seu occasiones, ad hunc finem specialiter procuratas, vel permissas, simul & per internam & congruam motionem Evangelistas ad scribendum impulsisse. Sic cum fideles Romani Marcum, & Asiæ episcopi Joannem rogabant ut scriberent, Spiritus sanctus ineffabili modo operabatur in eorum cordibus, ut præcibus ipsius instinctu factis obsequerentur, & scribere vellent.

Dices. Diligentia, probitas, aliæque dotes scriptorum sacrorum sufficientem tribuunt auctoritatem scripturis sacris. Ergo ad id gratis dicitur esse necessaria inspiratio divina. R. neg. ant. Nam quantacumque supponantur fuisse scriptorum sacrorum dotes, non possunt aliam eorum narrationi auctoritatem tribuere, quàm humanam, quæ sufficere non potest: iis enim quæ narratur à scriptoribus sacris debemus, vel saltem possumus assentiri assensu appreciativè summo propter eorum narrationem. Ad hoc autem manifestè requiritur, ut eorum narratio summam ac divinam habeat auctoritatem, & ad hoc requiritur, ut sit verbum Dei, ad quod requiritur, ut narrarent & scripserint sub Deo non solum ad narrandum & scribendum impellente, sed etiam circa narranda & scribenda illustrante, atque hoc pacto dictante ea, quæ narrari & scribi volebat.

Dices. Diligentia, probitas, & aliæ dotes scriptorum sacrorum sufficient ad convincendos infideles, & ad id inutilis est inspiratio divina, utpote per se obscura & incredibilis. Ergo inspiratio divina superflua est.

R. 1. neg. conseq. Nam dato quòd inspiratio divina sit inutilis ad convincendos infideles, non ideo est superflua: est enim adhuc utilis, imò & necessaria ad fideles confirmandos, quia fideles habere non possunt summam certitudinem de iis, quæ narratur in sacris scripturis, nisi sacra scripturæ summam & divinam habeant auctoritatem, neque summam

V & di.

& divinam auctoritatem habere possunt sacra scriptura, nisi fuerit à Deo inspirata: nam si non fuerunt à Deo inspirata, non sunt verbum Dei, quod solum summam & divinam auctoritatem habet.

R. 2. neg. alteram partem ant. nempe quod inspiratio divina sit inutilis ad convincendos infideles: est enim per se quidem obscura, sed infidelibus potest sufficienter probari; & sufficienter probata infidelibus, erit ad illos convincendos sufficientissima: nam convicti de inspiratione divina, hoc ipso convincuntur non solum de veritate, sed etiam de summa infallibilitate sacrarum scripturarum supposito enim quod scriptores sacri fuerint à Deo inspirati, per se clarum est eos scribendo non magis errare potuisse, quam potest Deus falli aut fallere, quod utrumque evidenter repugnat enti, quo nihil melius cogitari potest.

Porro infideles convincuntur de inspiratione divina, hoc ipso quod convincuntur scripturam sacram esse verbum Dei; cum non possit esse verbum Dei, quin à Deo saltem quoad res & sententias scriptoribus sacris velut amanuensis dictata, adeoque inspirata fuerit; & convincuntur scripturam esse verbum Dei, hoc ipso quod per motiva credibilitatis convincuntur de veritate & divinitate Ecclesiae, scripturam sacram ut verbum Dei proponentis. Quod autem motiva credibilitatis, quae habet Ecclesia, sufficiant ad convincendos infideles de veritate & divinitate Ecclesiae, quis ambigit? Motiva igitur credibilitatis Ecclesiae omnino sufficiunt ad probandum infidelibus, quod scriptura sacra sit verbum Dei adeoque quod sit divinitus inspirata saltem quoad res & sententias.

Obj. Si res & sententiae omnes, litteris sacris expressae, scriptoribus sacris à Deo inspiratae fuerint, scriptores sacri nulla diligentia, nullo conatu, nulla meditatione aut inquisitione indiguerunt ad scribendum. Falsum conf. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. Lucas, ipsomet teste, c. 1. Evangelii, ut omnia assequerentur à principio, & ex ordine scriberet, magnam adhibuit diligentiam. 2. Author libri 2. Machab. in quinque historiarum libris, à Jalone Cyrenaeo compositis, uno volumine breviandis, deludavit multum, ut ipse testatur cap. 2. *Et nobis quidem ipsis, inquit, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus.*

R. Inspirationem divinam non eandem in omnibus scriptoribus sacris fuisse, sed aliam exclusisse omnem humanam industriam, aliam verò non. Itaque Deus aliquos scriptores sacros ita inspiravit, ut non librum exarare, sed librum exscribere viderentur, quia videlicet, Deo in eis operante, sese illis inter scribendum ultro offerrebat res, verba & verborum compositio: unde nulla acquisitione, nullo conatu, nulla meditatione ad scribendum egebant. Alios verò inspiravit, non quasi ex ore dictando, sed eos ad rerum scribendarum investigationem ad meditationem, & omnem quam poterant industriam adhibendam impellendo, atque simul, quae antea non norant revelando, quae obliti erant, in memoriam revocando, quid ex multis quae sua diligentia & industria invenerant, vel meminerant, scribendum, quidve praeferendum esset ostendendo; eorum denique memoriam & intellectum ita illustratione sua regendo, ut ne levissima circumstantia labi possent.

Primo modo inspiratum fuisse Hieremiam, patet ex ejusdem Hieremiae cap. 36. ubi Baruch ejus scriba, à principibus populi interrogatus, quomodo prophetiarum ejus scripsisset, respondet in hunc modum: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento.* Secundo autem modo fuisse inspiratum auctorem libri 2. Machab. testantur ejus verba à nobis laudata. Unde quod ignoraret, se ex inspiratione divina scribere, mirum videri non debet; cum e contra Hieremiam, quod Deo inspirante scriberet, vel dictaret, non posset latere.

Dices. Rerum scribendarum investigatio & meditatio stare non potest cum inspiratione divina. Ergo

esse non potuerunt in scriptoribus à Deo inspiratis. Nego ant. *Probabis.* Rerum scribendarum investigatio & meditatio exigunt animum peccatum tranquillum. Atqui pax & tranquillitas animi manere non possunt cum inspiratione divina. Ergo, &c. Nego min. *Probabis.* Nam inspiratio divina, homines qui inspirantur rapit extra se eosque rationis & libertatis usu privat, ut probat exemplum Balaam benedicens populo, cui maledicturus advenerat, Num. cap. 23. & 24. & Saulis coram Samuele prophetantis lib. 1. Reg. c. 1.

R. neg. ant. saltem sumptum universaliter: dato enim quod aliqui ita à Deo inspirati fuerint, ut sui compotes esse desinerent, puta Balaam, Saul, & ii qui cum Saule coram Samuele prophetabant, nego quod Deus sic inspiraverit eos qui libros sacros conscripserunt; quamvis non omnes eodem modo inspiraverit, sed alios lenius, nempe historiarum & moralium sententiarum auctores, ut eorum oratio esset tranquillior, qualem possulant historia, & instruendi methodus; alios verò vehementius, nempe prophetas, ut ardentior & concitator esset eorum sermo, adeoque aprior ad varios spei, timoris, amoris reverentiae erga Deum, &c. motus in legentium animis excitando, quod potissimum spectant libri prophetici: at sic inspiravit omnes, ut eis expeditum rationis & libertatis usum relinqueret, & ex eis nullus insaniret. Sic Hieremias, non quasi furens, sed quasi legens, vaticinationes suas Baruch amanuensi suo dictabat.

Obj. 3. Multa in scripturis sacris leguntur Deo indigna, quales sunt dirae imprecationes, quas habent aliqui psalmi, & quae proinde Deo inspiranti attribui non possunt sine impietate. R. has imprecationes Deo inspiranti sine impietate attribui posse. Ratio est, quia propheticum habent sensum, nec sunt hominis oprantis, aut postulantis vindictam, sed simpliciter prae-nunciantis supplicia, à Deo justo iudice repetenda. Ita expressè sentit S. Augustinus in psal. 78. ubi haec verba, *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt*, sic interpretatur: *Etiam ista prophetatio est, non optatio: non malevolentia voto ista dicuntur, sed spiritu praevisa praedicuntur: sicut de Juda traditore, quae mala illi fuerant pro suis meritis eventura, ita prophetata sunt, quasi optata sint.* Et inferius haec verba, *Redde vicinis nostris septies tantum in sinu eorum*, sic exponit: *Non mala optat, sed iusta praenunciat, & futura prophetat.*

Dices. Scriptura sacra habet aliqua, imò multa, quae à Deo inspirari non potuerunt. Tale est v. gr. grande convicium, quo Paulus invehitur contra summum sacerdotem, Act. cap. 23. ubi summum Pontificem, cum illius jussu percutitur, parietem dealbatum vocat, ignorans quis esset; unde monitus quod esset summus Pontifex, dictum excusat. R. Paulum, cum summum sacerdotem vocavit parietem dealbatum, non ex instinctu. Spiritus sancti, sed ex merè humana determinatione locutum esse; quod non obest librorum sacrorum inspirationi, ad hoc enim sufficit, quod Lucas ex inspiratione divina scripserit id, quod Paulus non ex Spiritu sancti, sed ex proprio instinctu tunc dixit.

Nota. Aliud est factum, vel dictum aliquod narrari ex inspiratione divina, & aliud factum vel dictum illud ex inspiratione divina profectum esse. Unde ex inspiratione divina narrari potest id, quod factum vel dictum est ex instinctu merè humano: sicut ex instinctu merè humano narrari potest id, quod factum vel dictum est ex inspiratione divina. Dicimus autem ea omnia, quae in scripturis sacris narrantur, ex inspiratione divina narrari, sive etiam facta vel dicta fuerint ex inspiratione divina, sive non, & earendis dicimus scripturas sacras fuisse divinitus inspiratas.

Nota iterum. Non dicimus scriptura sacras fuisse divinitus inspiratas eo sensu, quod omnia quae illis continentur, facta vel dicta fuerint ex inspiratione divina: hoc enim est manifestè falsum & absurdum; neque necessarium est ad hoc, ut scripturae sacrae divinam habeant auctoritatem, & sint verbum Dei.

Sed

Sed eo sensu divinitus inspiratas fuisse dicimus, quod omnia quae illis continentur, ab authoribus sacris scripta fuerint sub Deo illos specialiter impellente ad scribendum, & circa scribenda illustrante modo superius explicato. Unde sequitur auctores sacros scripsisse ut amanuenses Dei, & moralia ejus organa, adeoque scripturam eorum esse verè divinam, & verbum Dei formaliter.

Dices. In scripturis sacris aliqua circumstantiae sunt inutiles, aliqua incertae, & aliqua invicem contrariae. Ergo, &c. R. neg. ant. Nam 1. circumstantiae illae, quae dicuntur esse inutiles, aliquo modo conferunt vel ad nostram instructionem, vel ad providentiae divinae aut alterius attributi divini commendationem, vel ad ornatum & integritatem orationis, denique ad narrationis ingenuitatem, qua excellunt scripturae sacrae, earumque veritas mirum in modum elucet. 2. Circumstantiae illae, quae dicuntur esse incertae, sunt tantum minus praecise & determinatae. Noluit autem Spiritus sanctus eas per scriptorem sacrum magis determinari; quia hoc alienum est à recepta inter homines narrandi ratione, cui se accommodare voluit. 3. Circumstantiae illae, quae videntur inter se pugnare, non nisi specietenus inter se pugnant, easque inter se conciliari, pro certo tenere debemus, quamvis fortasse ignoremus modum, quo conciliantur. De huiusmodi difficultatibus consulendi sunt Interpretes.

At inquires. Si scriptores sacri à Deo inspirati fuerunt etiam in minimis & levissimis circumstantiis, ita ut nequidem in re minimi momenti à vero aberrare potuerint, nullum quantum ad inspirationem divinam discrimen fuit Christum inter & sacros scriptores. R. neg. seq. Itaque quantum ad divinam inspirationem inter Christum & scriptores sacros discrimen fuit, 1. in eo quod Christus semper fuerit inspiratus, ita ut à vero nec aberraret, nec aberrare potuerit unquam, sacri verò scriptores non fuerint semper inspirati, sed tunc tantum fuerint, cum ipsos sacros conscriberent, & tanquam Dei legati loquerentur hominibus. Unde alii à vero aberrare poterant, & quandoque aberrabant, vel ex levi aliqua inconsideratione, aut in inquirenda veritate negligentia, vel ex inculpabili memoriae lapsu. 2. In eo quod Christus fuerit ex proprio jure inspiratus: nam humanitas Christi propter hypostaticam unionem infutabiliter exagebat auxilia, quibuscum semper & in omnibus assequeretur veritatem; sacri verò scriptores, utpote puri homines, nullam per se inspirationis divinae exigentiam habuerint, & sic inspirati fuerint ex mero Dei beneplacito, qui illis ad condendas scripturas sacras uti voluit, & per illos quasi amanuenses suos hominibus loqui.

Obj. 4. Si Deus librum aliquem, industria merè humana conscriptum, ex omni parte verum esse revelaret credibiliter, liber ille esset verbum Dei, & scripturis divinis annumerari non solum posset, sed etiam deberet. Ergo ad hoc ut scriptura sacra esset verbum Dei, & scriptura divina, necessaria non fuit divina inspiratio, adeoque gratis dicitur, omnes omnino scripturas sacras fuisse divinitus inspiratas.

R. In suppositione facta, liber, industria purè humana conscriptus, non esset verbum Dei propriè & simpliciter, sed ad summum esset verbum Dei, latè & cum addito diminutive, per adoptionem; nec scripturis, quas divinitus inspiratas fuisse probavimus, alio modo annumerari posset, quam filii adoptivi filiiis naturalibus possunt annumerari: unde per se dignus non esset ea veneratione, quam per se merentur scripturae divinitus inspiratae.

At inquires. Summam & divinam auctoritatem haberet. Ergo esset propriè & simpliciter verbum Dei. R. dist. ant. Summam & divinam auctoritatem haberet per se, N. ant. Per aliud & propter revelationem divinam, qua illum nihil nisi verum continere, credibiliter revelatum esset, C. ant. & neg. conseq. Nam illud tantum verbum dici potest propriè & simpliciter verbum Dei, quod summam & divinam auctoritatem ha-

Simones Theol. Tom. II.

bet per se, & ita per se dignus est assensu appetitativo summo: ita ut praesupposita illius qua verbum Dei est, propositione, possimus, quam exprimit, veritatem actu appetitativè certissimo credere propter ipsum, eodem illo actu cum eadem appetitione natura prius per se immediatè creditum, ibi sistendo.

ARTICULUS X.

Utrum scriptura sacra fuerint etiam divinitus inspirata quoad omnia & singula verba.

RESPONSIO.

Scriptura sacra videntur non fuisse à Deo inspirata quoad omnia & singula verba.

Prob. 1. ex Origene: nam apud Eusebium lib. 6. hist. eccl. cap. 18. postquam dixit se ex majorum traditione didicisse epistolam ad Heb. esse Pauli, dubium proponit, utrum scilicet sententiae tantum, an etiam verba & verborum compositio ipsius sint, & respondet verba & verborum compositionem ab aliis Lucae Evangelistae, ab aliis verò Clementi Romano, apostolorum discipulo attribui, ibique haeret, nullatenus sollicitus non solum de sententiis, sed etiam de verbis & verborum compositione Paulo vindicandis. At si verba & verborum compositio fuerint Clementis, profecto non fuerint inspirata divinitus; cum Clemens non fuerit author canonicus; & nihilominus, secundum Origenem, epistola ad Hebr. est scriptura divina. Ergo, secundum Origenem, ut aliqua scriptura sit divina, non requiritur ut verba & verborum compositio fuerint divinitus inspirata, sed sufficit inspiratio sententiarum. Ergo, secundum Origenem, nulla necessitas est asserendi, quod scripturae sacrae omnes fuerint divinitus inspiratae, non solum quoad sententias, sed etiam quoad verba & verborum compositionem. Porro si id asserendi nulla est necessitas, qua ratione probabitur omnia singula verba in sacris scripturis omnibus divinitus inspirata fuisse? Præterea, idem Origenes in Philocalia c. 4. probat scripturas sacras solecismis identidem sordescere. At quin solecismos Deo inspiranti impingere non verebatur?

Prob. 2. ex S. Hieronymo: nam pluribus locis aperte supponit nec verba, nec verborum constructionem à Deo inspirata fuisse scriptoribus sacris, ut v. g. in epistola ad Algasiam quaest. 10. ubi de Paulo Apostolo sic loquitur: *Illud quod crebro diximus: Et si imperitus sermone, non tamen scientia; nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse, etiam nunc approbamus: profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat; in alienas aures puro non potest transferre sermone, quem cum in vernacula lingua habeant disertissimum... se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Sic enim loquendo. Hieronymus manifestè significat, Paulum apostolum quoad voces & phrasim propriae industriae derelictum fuisse.

Prob. 3. ex S. Agobardo Lugdunensi episcopo in libro contra Fredegisum tom. 14. Bibl. Patr. edit. Lugd. ubi hæc habet: *Apparet etiam in his verbis vestris quod ita sentitis de prophetis & apostolis, ut non solum sensum predicationis, & modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in illorum ipse formaverit. Quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit? Tum quod omnia & singula verba scriptoribus sacris à Spiritu sancto dictata non fuerint, probat multis argumentis, & praesertim ex styli diversitate.*

Prob. 4. ratione. Quia ad hoc ut scripturae sacrae essent verè & propriè verbum Dei, adeoque summam & divinam haberent auctoritatem, necessaria non fuit omnium & singularum vocum inspiratio, & aliunde hanc inspirationem asserendi nulla sufficiens ratio asserri potest. Ergo, &c. Secunda pars ant. patebit ex objectionum solutione. *Prob. prima pars.* Ad hoc ut scripturae sacrae essent verbum Dei, necessarium tantum fuit, ut auctores sacri, tanquam

amanuenses Dei, seu moralia quædam illius organa, scriberent. Atqui ad hoc necessaria non fuit omnium & singularum vocum inspiratio; sed satis fuit, si auctores illis scriberent sub Deo eos impellente ad scribendum, eisque sensus omnes conscribendos inspirante, ex intentione mentem suam manifestandi hominibus, ut ex terminis manifestum apparet præsertim si Deus ipsis scriptoribus relinquendo delectum verborum, eorumque constructionem, specialiter invigilabat, ne voces adhiberent, quibus sensus ab inspiratis sensibus diversi, aut etiam illis contrarii redderentur; atque cum opus erat, voces ipse suggererebat, vel germanam earum significationem edocebat, necnon ad diligenter & sincere scribendum movebat efficaciter. Ergo, &c.

Confirm. 1. Vulgata nostra editio latina est verbum Dei, & summam ac divinam habet auctoritatem, & quidem præcisè, quia continet sensus olim à Deo scriptoribus sacris inspiratos: non enim editionis nostræ latinæ vocabula divinitus inspirata fuisse dici potest. Ergo scriptorum sacrorum autographa hoc ipso potuerunt esse & fuerunt verbum Dei, quod sensus divinitus inspiratos exprimerent; nec necesse fuit, ut constarent vocibus à Deo inspiratis. Ergo, &c.

2. Liber secundus Machabæorum est scriptura divina, & tamen non omnia & singula verba fuisse divinitus inspirata, manifestè colligitur ex cap. 2. ubi auctor asserit, se in componendo libro suo, non facilem laborem, non imò verò negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsisse. Manifestum enim est auctorem illum, scribentem sub Deo, non solum sensus omnes conscribendos, sed etiam omnia & singula verba, quibus sensus illi exprimendi essent, inspirante, aut nullum, aut certè levem tantum in scribendo laborem experturum fuisse.

3. Epistola secunda ad Timoth. tota est scriptura sacra; & tamen qua ratione probari poterit, Apostolum hæc, *Penulam quam reliqui Troade, apud Carpum veniens, asser tecum, & libros, maxime autem membranas, scripsisse*, Deo non solum impellente ad scribendum, sed etiam omnes & singulas voces, earumque inter se dispositionem inspirante? Possunt autem alia quamplurima scripturæ sacræ loca proferri, in quibus necessaria magis non fuit vocabulorum eorumque compositionis inspiratio, nec magis potest probari.

4. denique, Moyses duobus locis, nempe Exodi c. 20. & Deuteronomii c. 5. Decalogum scripsit, & scribendo diversis vocabulis, & diversa vocabulorum constructione usus est; adeoque Moysi tunc accidit, quod accidere solet aliis hominibus, qui rem eandem diversis temporibus scribentes, iisdem vocabulis & eadem vocabulorum ordinatione nunquam serè utuntur. Ergo Moyses in scribendo Decalogo, quoad vocabulorum delectum & ordinationem, propriæ industriæ relictus est: neque enim probabiliter dici potest, Spiritum sanctum volentem in Exodo & Deuteronomio scribi Decalogum, noluisse iisdem vocabulis & eodem vocabulorum ordine in utroque loco scribi, atque ita non eadem vocabula, nec eundem vocabulorum ordinem in utroque loco inspirasse.

Obj. 1. Patres videntur in ea fuisse sententia, quod scripturæ sacræ non solum quoad sensus omnes, sed etiam quoad omnia & singula verba, divinitus fuerint inspirata. Nam I. S. Basiliius in proemio libri de Spiritu sancto sic Amphilochem alloquitur: *Supra modum delector ista instantia vigilantiaque mentis tue, qui putas nullam vocem ex his que per universam scripturam de Deo prædicantur, oportere indiscussam relinquere.... Nam haud oscitanter audire sermonem de rebus divinis differentem, sed conari quid in quaque dilectione, quid in quaque syllaba recondit sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui intelligunt scopum nostræ vocationis.... Si ex lege nec unum iota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit vel minutissima transilisse?*

2. S. Chrysostomus homil. 18. in cap. 4. Genes. sic

loquitur: *Ausculitemus diligenter dictis, & videamus quid de Cain narret scriptura, & quid de Abel... nihil enim temerè vel fortuito loquitur divina scriptura, sed & syllaba & apiculus unicus reconditum habet thesaurum: nam in hunc modum se habent spiritualia omnia.*

3. S. Augustinus in tract. 120. de cap. 19. Joannis, ad hæc verba, *Unus militum lancea latus ejus aperuit*, sic disserit: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud: sed aperuit; ut illic quodam modo vite osium panderetur, unde sacramenta Ecclesie manaverunt, sine quibus ad vitam: que vera vita est, non intratur.*

4. S. Gregorius in præfat. in expositionem libri Job c. 1. propositis circa hujus libri auctorem diversis sententiis, sic prosequitur: *Sed quis hæc scripserit, valde supervacue queritur: cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & illius inspirator extitit, & perscribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.*

5. S. Bernardus serm. 72. super Cantica, in hæc verba, *Donec aspiret dies*, hæc habet: *Ego enim, ut verum fatear, jam olim mihi persuasi in sacri pretiosique eloquii textu, nec modicam vacare particulam, Solemus autem hac voce (aspire) uti, cum vehementer aliquid desideramus... Designatus itaque per hoc verbum (aspiret) mira affutura affluentia vehementique spiritus die illo, &c.*

R. neg. obj. Ad 1. prob. R. S. Basilium loqui non de omnibus vocibus, quibus scripturæ divinæ constant, sed de iis tantum, quibus aliquid de Deo prædicatur, easque diligenter ac maturè ponderandas asserere. Has autem voces inspiratas divinitus fuisse, concedere possumus: nec inde sequetur, omnes & singulas voces, quibus constant scripturæ divinæ, à Deo fuisse inspiratas. Adde nihil cogere nos, ut concedamus voces illas omnes, quibus aliquid de Deo prædicatur; inspiratas fuisse divinitus: nam Basilio satisficit, si dicatur Spiritum sanctum invigilasse, ne scriptores sacri, voces quibus sensus circa Deum inspirati non integrè exprimerentur, usurparent, & quoadque voces idoneas, cum opus fuit inspirasse.

Ad 2. prob. R. ad hoc ut scripturæ sacræ nihil temerè fortuito loquerentur, necesse non fuisse ut omnia & singula verba sacris scriptoribus inspirarentur, sed fuisse satis, si scriptores sacri inspirarentur quoad omnes sententias conscribendas, & specialiter illis Spiritus sanctus assisteret, nec quid præter sententias illas conscriberent, easque accuratè verbis suis omnes exprimerent. Cum addit S. Chrysostomus, unam syllabam, & apiculum unicum reconditum habere thesaurum, restrictè loquitur, & sensus ejus est, quod syllaba una, & apiculus unicus, habere possit, & habeat quandoque sensum reconditum, adeoque omnia scripturæ verba diligenter esse expendenda.

Ad 3. prob. R. Cum S. Augustinus dicit Evangelistam vigilanti verbo usum esse, non inspirationem divinam, sed diligentiam ac industriam scriptoris laudare videtur, præsertim cum ad scribendum aperuit, potius quam percussit aut vulneravit, scriptor sacer non egerit vocis illius inspiratione, sed ei suffecerit mysterii per apertionem lateris Christi significari revelatio. Præterea, esto quod S. Doctor leniter verbum aperuit, à Deo scriptori sacro inspiratum fuisse, hoc tamen nobis non obest. Nam aliqua, imò multa vocabula à Deo sacris scriptoribus inspirata fuisse, facillè concedimus, & solum, quod omnia & singula divinitus inspirata fuerint, negamus. Ab hac autem omnium & singulorum vocabulorum inspiratione alienum se satis probat S. Augustinus, cum de nimium scrupulosos vocum observatores sic loquitur lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 28. *Neque miseri aucupes vocum, apicibus quodam modo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus requirendus.*

Ad 4.

Ad 4. prob. R. ad hoc ut libri Job, sicut aliarum scripturarum divinarum, author verè sit Spiritus sanctus, & id fideliter credamus, sufficere quòd Spiritus sanctus omnes omnino sensus conscribendos inspiraverit, & ad conscribendos specialiter moverit, ad hoc invigilando ut scriptores non nisi idoneis vocibus uterentur, & cum opus erat, ipsa vocabula suggerendo; his enim præcisè positis, Spiritus sanctus librum Job per authorem sacrum, quicumque ille fuerit, velut morale instrumentum & amanuensum suum conscripsit.

Ad 5. prob. R. ex S. Bernardi verbis ad summum sequi, quòd aliqua vocabula scriptoribus sacris inspirata fuisse senserit; & cum dicit in scripturæ sacre textu nec modicam vacare particulam, non in rigore mathematico, sed in sensu morali loquitur, nec aliud vult, quàm nullas in divinis scripturis voces inutiles esse; ad cuius rei veritatem satis est, si scriptores sacri à Deo quoad omnes sensus conscribendos inspirati, scriperunt sub Deo invigilante ne voces superfluas minime ad sensum inspiratorum expressionem idoneas adhiberent, & voces ipsas, cum opus esset inspirante.

Obi. 2. Illi etiam quoad omnia & singula verba inspirati fuerunt, qui sic inter scribendum agebantur à Spiritu sancto, ut eis liberum non esset aliis verbis scribere. Atqui scriptores sacri omnes inter scribendum sic agebantur à Spiritu sancto, ut liberum eis non esset aliis verbis scribere. Ergo, &c. *Neg. min. Probabis.* Nam Spiritus sanctus ad condendas scripturas sacras scriptoribus usus est tanquam calamo. Nam dicitur Psal. 44. *Lingua mea calamus scribe velociter scribens.* Tanquam organo seu instrumento, ut Patres docent communiter; tanquam amanuensibus, qui verba ex ore dictantis excipiunt, ut verba Davidis modò laudata aperte significant. Ergo, &c.

R. neg. confeg. Nam scriptores sacri fuerunt quidem organa & instrumenta, quibus Spiritus sanctus ad sacras litteras conscribendas usus est; at non fuerunt organa & instrumenta merè passiva & mortua, sed fuerunt organa & instrumenta viva, & propriæ industriæ propriæque libertatis usum habentia. Item fuerunt quidem amanuenses Spiritus sancti, at non quales omnia & singula verba ex ore dictantis excepta scribunt, sed quales sententias ex ore loquentis exceptas, delectu compositione verborum sibi relictis, exprimunt proprio ingenio, & liberè. Hinc factum est, ut Evangelistæ v.g. eadem Christi dicta vel facta, non iidem planè verbis, sed ex parte diversis, quibus tamen idem sensus redditur, expresserint. Sic Marcus & Matthæus scribunt Christum, cum calicem discipulis porrigeret, dixisse: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Lucas verò scribit Christum tunc dixisse: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo.* Christus autem non utroque modo locutus est, sed alterutro: at quia uterque modus loquendi eundem sensum reddit, alterutrum, ad referendum id quod Christus dixerat, pro arbitrio adhibere potuerunt scriptores sacri.

Potè Patres dicunt quidem scriptores sacros in conscribendis sacris litteris fuisse instrumenta & organa Spiritus sancti; at non volunt eo modo fuisse, quo dicuntur in objectione; ita ut nullum propriæ industriæ & libertatis in scribendo usum habuerint. Eatenus igitur fuerunt instrumenta & organa Spiritus sancti, quatenus scriperunt sub Spiritu sancto impellente ad scribendum, inspirante sensus omnes conscribendos, quandoque suggerente ipsa vocabula, sed ut plurimum, illorum delectum compositionem scriptoribus relinquentes; simul tamen specialiter invigilantes, ne circa delectum illum, aut compositionem illam, sensus inspiratos minus rectè exprimendo delinquerent.

Obi. 3. Philonem Judæum in libro qui inscribitur: *Qui verum divinarum heres sit*, ubi hæc habet: *Propheta nihil ex se proloquitur, sed omnia submonente Simonnet Theol. Tom. II.*

alio... Quando quidem hic solus est instrumentum Dei resonans, ab eo contactum, & pulsatum invisibiliter. R. 1. Philonem intelligi posse de sola inspiratione rerum & sententiarum. R. 2. parvi hic referre, quid Philo, & alii cum eo Judæi, post Christi tempora senserint.

ARTICULUS XI.

Quotuplex sit Scriptura sacra sensus.

Resp. Scripturæ sacre sensus alius est literalis, seu historicus, & alius spiritualis, seu mysticus. Sensus literalis est ille, quem verba proximè significant, sive sint verba propria, sive metaphorica. Sensus mysticus est ille qui significatur proximè, non per verba, sed per rem quam verba significant. Sensus mysticus subdividitur in allegoricum, anagogicum & tropologicum. Sensus allegoricus est is qui est de re pertinente ad fidem, vel Ecclesiam militantem. Anagogicus is est qui est de re pertinente ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem. Tropologicus denique est de re ad mores pertinente. Quatuor igitur sunt Scripturæ sacre sensus, literalis scilicet, allegoricus, anagogicus & tropologicus, qui omnes in hac una voce *Hierusalem* ostendi possunt: nam hæc vox literaliter urbem Palestina, allegoricè Ecclesiam militantem, anagogicè patriam cœlestem, seu Ecclesiam triumphantem, tropologicè animam hominis in sacra Scriptura significat.

Potè præter sensus illos, à Spiritu sancto intentos, alius est qui accommodatius dicitur, & describitur sic: Sensus qui Scripturæ sacre verbis neque immediatè, neque mediatè significatur tamen illis attribuitur, ea ad aliquid præter authoris sacri mentem applicando & accommodando, propter quandam analogiam & similitudinem. Ut autem sensus ille licitè usurpetur, requiruntur aliquæ conditiones.

1. Requiritur ut sensus accommodatius sit pius, seu ut verba scripturæ non nisi ad res pias & religiosas accommodentur. Patet ex Synodo Tridentina sess. 4. ubi sic loquitur: *Post hæc temeritatem illam reprimere volens (Synodus) qua ad prophana quaque convertuntur & torquentur verba & sententia sacra Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos; mandat & precipit, ad tollendam huiusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacra ad hæc & similia audeat usurpare; ut omnes huius generis homines, remercatores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Episcopos coercentur.*

2. Requiritur ut non tradatur sensus accommodatius pro literalis, nec vicissim sensus literalis tradatur tanquam accommodatius.

Requiritur denique, ut sensus accommodatius sit verus: sensum enim falsum verbis Scripturæ sacre etiam per accommodationem attribuere, nefas est. Sed

Quæres 1. utrum unus & idem sacra Scripturæ locus plures sensus literales admittat?

R. admittere; quod probatur uno vel altero exemplo. Nam 1. illud Psal. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, de æterna Christi generatione intelligitur, Hebr. cap. 1. his verbis: *Cui dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu; hodie genui te;* & de resurrectione Christi Act. c. 13. his verbis: *Hanc Deus (promissionem) adimplevit filiis nostris: resuscitans Jesum, sicut in Psal. 2. scriptum est: Filius meus es tu, &c.* 2. Illud Ilaiæ c. 55. *Generationem ejus quis enarrabit?* duplicem habet sensum literalem, unum de æterna, alterum de temporaria Christi generatione, ut docet S. Leo serm. 3. de nativitate Domini. *Non enim, inquit, ad illud tantummodo sacramentum, quo Filius Dei consenspernitus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est, Generationem ejus quia enarrabit.*

Quæres 2. utrum quilibet scripturæ locus admittat sensum litteralem?

R. Admittere: nam si non admittit, certè, ut volunt aliqui, in metaphoris & parabolis. Atqui hoc est falsum. Pro quo *nota 1.* Sensus litteralis est ille, quem proximè significant verba propriè vel metaphoricè sumpta. Unde si verba non propriè, sed metaphoricè sumuntur, sensus litteralis est ille qui proximè significatur per verba sumpta metaphoricè. Sic in hac Christi sententia: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam*, to dextra manus non lumitur propriè pro certo corporis membro; alioqui sententiæ sensus esset falsus & absurdus, sed metaphoricè pro amico, vel proximo: quare sententiæ sensus litteralis est: Si amicus, vel proximus tuus scandalizat te, consortium ejus devita.

Nota 2. In parabolis duæ sunt partes, una videlicet quæ continet rem quæ in similitudinem affertur, & altera quæ applicationem continet. Exemplum sit parabola qua Christus utitur Matth. cap. 13. ad prædicandam Evangelii propagationem. *Simile est*, inquit, *regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc parabola duplicem habet partem. Prima continet mulieris factum, quod adducitur in similitudinem, & habet sensum litteralem, mulieris factum exprimentem; secunda verò applicationem, & habet quoque litteralem sensum qui hic est: Sicut modicum fermentum, in magnam farinæ massam immisum, eam multò, quàm erat, reddit majorem: ita Evangelium in Palæstina prædicatum, brevi tempore totum pervadet orbem, & sic Ecclesia in Palæstina primùm instituta, & principio parva, atque angustus terminis contenta, brevi tempore magna sumet incrementa, ac longè latèque propagabitur.

Nota 3. In scriptura Sacra triplicis generis sunt parabole: quedam enim rem gestam, quedam non rem gestam, sed possibilem, quedam non rem gestam, aut possibilem, sed impossibilem afferunt in similitudinem. Primi generis est parabola fermenti in farinæ massam immissi, Matth. c. 13. Secundi generis est parabola Patrisfamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam suam, Matth. cap. 20. Terti generis est parabola lignorum, quæ ierunt, ut ungerent super se regem, Judic. cap. 9. Omnes autem habent sensum litteralem & verum: nam ad veritatem parabolæ sufficit, si similitudo & applicatio bona est; res enim quæ in parabola adducitur in similitudinem, non adducitur, quasi re ipsa gesta sit, aut geri potuerit, sed sit res aliqua explicetur per talem similitudinem.

ARTICULUS XII.

Utrum sensus litteralis scripturæ Sacræ sit obscurus.

RESPONSIO.

Sensus litteralis scripturæ Sacræ obscurus est.

Prob. 1. ex Scriptura ipsa. Nam Psal. 118. dicitur: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et Luc. c. ult. *Tunc aperuit (Christus) illis (discipulis) sensum, ut intelligerent scripturas.* Unde sic argumentor. Illud non est intellectu facile, sed difficile, ad quod intelligendum necessaria est illustratio divina. Atqui illustratio divina necessaria est ad intelligendas scripturas Sacras. Ergo, &c. Falsum igitur est quod dicunt hæretici, Sacras Scripturas omnes intellectu facilissimas esse, adeoque in Ecclesia necessarium non esse vivum Scripturæ Sacræ interpretum infallibilem.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum consensu, apud Bel-larminum, & alios. Unus erit hic pro omnibus S. Augustinus in epistola ad Januarium cap. ult. ubi sic ait: *Tantum absum ab eo quod putasti, nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim trifidius, quia & apertissime falsum est, & miror quia hoc te la-*

ter, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo neficiam plura, quàm sciam. Dilcant à tanto Doctore novatores non superbire, & suam in scripturis sanctis ignorantiam fideliter confiteri.

Prob. 3. experientia tot doctorum & piorum hominum, qui tot commentarios divinarum scripturarum ediderunt, & in illis interpretandis tantoperè defudarunt. Præterea, si Sacra Scripturæ omnes sunt facilissimæ & clarissimæ, ut volunt hæretici, quid opus fuit tot interpretibus totque commentariis? Quare Novatores ipsi à commentariis Scripturæ Sacræ elucubrandis non abstinuerunt?

Denique, novatoribus obstruit os B. Petrus Apostolus epist. 2. c. 1. cum ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Certè si scriptura divina se habet ad modum lucernæ lucentis in caliginoso loco, non potest non habere multa obscura, & intellectu valde difficilia. Quod confirmatur ex eodem Apostolo eadem epist. cap. 3. ubi hæc scribit de Paulo Apostolo: *Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis (epistolas) in quibus sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem, ut videre est in novatoribus, contra quos hic pugnamus.*

Respondent 1. Scripturam esse quidem obscuram impiis, incredulis, & voluntariè cæcipientibus, at per se claram esse piis ac fidelibus. Sed contra est, quia Augustinus non fuit impius, nec incredulus, aut voluntariè cæcus, & tamen scriptura fuit illi obscura, & intellectu difficilis; neque ita sensum scripturæ etiam cum gratiæ adiutorio affecutus est, ut multa non ignoraverit, ut ipse ingenuè confitetur disertis verbis. Quod autem dico de Augustino, de aliis quoque Patribus possum asserere. Adde Eunuchum, qui nec impius, nec incredulus, nec voluntariè cæcus erat, & tamen Philippo interroganti, utrum intelligeret Isaiam prophetam, quem legebat, respondit, Act. c. 8. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

Respondent 2. sensum scripturæ ex se clarissimum esse, sed obscurum quandoque apparere iis, qui ignorant linguæ originalis idiotismos, hebraicæ scilicet, vel græcæ. Sed contra est, quia David proprios loquendi modos linguæ hebraicæ non ignorabat, & tamen indigebat Spiritus sancti illustratione ad intelligendam Scripturam Sacram: unde orando dicebat: *Revela oculos meos, &c.*

Respondent 3. Scripturam alicui obscuram esse, sed alibi clarè se ipsam explicare. Sed contra est, quia 1. Patres, & alii scripturæ interpretes, non ignorarunt loca scripturæ inter se conferenda esse, ut alia ex aliis, obscuriora videlicet ex clarioribus lucem accipiunt: nec dubitare fas est, hanc ab eis collationem esse factam; & tamen cum hac collatione, ut contendunt ipsi hæretici, verum scripturæ sensum ubique assequi minimè potuerunt. 2. Controversiæ circa scripturæ sensum exortæ, sive inter Catholicos, sive inter ipsos hæreticos, perseverant, quantumvis fiat ejusmodi collatio, quæ proinde non sufficit ad dirimendas controversias circa sensum scripturæ exortas. Ad hoc autem non sufficit, quia non sufficit ad tollendam obscuritatem locorum, de quibus controvertitur.

Respondent denique 4. saltem nihil esse ad salutem necessarium, quod non continetur clarè in scriptura, nec possit ab unoquoque facile intelligi. Sed contra est, quia Eunuchus Reginæ Æthiopum legebat aliquid ad salutem necessarium, nec tamen potuit illud intelligere, nisi ab aliquo alio edoceretur. Adde quod multa sunt necessaria necessitate præcepti, quæ in scriptura non continentur clarè.

Obj. Deut. c. 30. dicitur: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Et Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et Matth. c. 5. *Vos estis lux mundi.* Et 2. Cor. cap. 4. *Quod si oper-*

